This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

KAIS.KÖN.HOF-BIBLIOTHEK
42.280-A
ALT-

Digitized by Google

S.a. 59, F. 72.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

42280-A.

Digitized by Google

BRUNELLUS VIGELLI,
&
VETULA OVIDII.
Seu:
OPUSCULA DUO AUCTORUM INCERTORUM:
Prius quidem
VIGELLI,
qui fertur,
SPECULUM STULTORUM;
Poſterius verò
LIBRI TRES DE VETULA,
OVIDII,
falſò ſic dicti:
Ambo ante duo propè Secula junctim
publico charactere Coloniæ excuſa,
nunc verò denuò
ex Illuſtri quâdam Saxoniæ Inferioris
Bibliothecâ depromta,
*atq; è Vetuſto Exemplari in hanc minusculam compagem
bonâ fide conformata,*

ANNO CIↃ IↃCLXII.

WOLFERBYTI

TYPIS STERNIIS.

Digitized by Google

M. *Tullius Cicero*,
lib. 3. Tuscul. quæſt.

OPtimus, ac graviſſimus quisq; confitetur, ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam atq; etiam eſſe diſcenda.

Plinius lib. 2. Epiſtolar.

NUllus eſt liber tam malus, quod non aliquâ parte proſit.

Quintilianus lib. 6.

IN Scholis omnia liberè fingimus, & impune, quia pro facto eſt, quicquid volumus.

Digitized by Google

AD LECTOREM

περὶ τὴν Σοφίαν διατρίβοντα,

Profundiorem Literaturæ Univerſæ Judicē,

PRÆFATIO.

DUos, quod in Proverbio dicitur, unâ fideliâ dealbamus parietes, dum Libellum geminum eâdem opellâ typis excudendum curamus, cauſâ adducti, inter arduas ſi non principe, nobis tamen haud evitabili. Non quidem, quod ultrò fatemur, nemini eruditorum hactènus innotuerant, aut tanti videbantur precii ambo Libelli, qui ſingularem quandam ſibi poſcerent præ cœteris dignitatem, adeoq́ue velocius prœlum: Nec fato [ut Metelli quondam Romæ] eos inclaruiſſe contendimus, cum utrumq́ue limam certè ſuam ab edecumatæ, quin imò & medioxumæ doctrinæ Viris vix effugere poſſe, facilè credamus: Sed cum diu hactenus delituiſſent, ipſi quamvis publico charactere conjunctim excuſi, & in Illuſtri quâdam Germaniæ Saxonum Inferiorum Bibliothecâ, aliarum ſui generis fermè Matre, conſtituti, accidit, ut φιλομούσοις SERENISSIMI BIBLIOTHECARII obvenirent manibus,

& poſt longam quaſi noctem ê pulvere eruti, denuò, poſt ipſa penè duo Secula Chalcographicis operis deſtinarentur. Primos enim, & idcircò rudiores, typos ambo experiebantur eo Seculo, quo alma Typographiæ Ars ortum univerſo Orbi debuit pariter, & univerſum ipſa Orbem jugiter illuſtravit, dum ſcilicet â Natali ſaluberrimæ hujus officinæ Anno trigeſimo nono; Quatuordecim autem duntaxat annis poſt Opera publicè edita [quorum teſtis eſt Schmidius in Notis ſuis ſuper Nov. Teſtam.] per Johañem Koelhoff de Lubeck, Coloniæ Civem, ære imprimerentur. An aut ubi, quando itidem, ab eo temporis puncto typum iteratò ſubierint, & quidem uni volumini conjunctim inſerti, nos prorſus latet, etſi Pſeudo-Ovidii Vetulã, cum aliis ejuſdem argumenti Libellis, Francofurti Anno hujus Seculi decimo, Anonymum quendam rurſus ediſſe [non tamen ſine aliquot lacunis] benè ſciamus, cujus judicium, qui voluerit, inibi ſatis cognoſcere poterit. De cœtero nos jam nulli moramur, modò ſufficiat, rariùs nunc temporis, in Muſéis doctiorum, aut etiam ipſis, inſtructiſſimis nonnunquam, Bibliothecis offendi. Et ſanè quã aliam potiùs cauſam ϖροκαλυμμένην

ſu-

ſuſpiciamus, cum BIBLIOTHECARII ſanctè Venerabilis, in ſublimi poſita Auctoritas hâc in re nobis utramque faciat paginam. Quamobrem illuſtri iſto, freti patrocinio, vel potiùs adacti juſſu, Te, Lector Benevole, amicè compellamus, ut, qui Rei Literariæ ultrò faves, limato & polito tuo judicio, negotium hoc omne ita penetres, & ſobriè discutias, ne Solœcismos fortè, & errores, tam Grammaticos, quàm Ethicos [quibus abundè refertos hos Auctores ipſi ſub lectione cōperimus] nobis, aut aliis, pari innocentiâ gaudentibus, vitio vertas, ſed vel ingeniis, ſub duriore Cœlo vitam emenſis, vel Seculi barbariei, in tantum excuſandæ, modeſtâ ſagacitate accenſeas. Eam, maxumè conſtat, eſſe labem moderni Seculi, quam tute quoque, ſi luci publicæ quid expoſueris, etſi invitus, ſenties, quod multi criſtas tollant, &, neſcio quo ſupercilio, alienos labores carpant, ac cum Protogene mortuo bellum gerere, aliquando non averſentur. Qui ſi in eodem Studiorum genere, ingenii ſui, meros ignes ſibi pollicentis, ſpecimen Literato Orbi exhibere cogerentur, aut etiam leviori longè tyrocinio tentarentur, aqua forſan maturè ipſis hæreret. Adeò non videmus manticæ quod

[Q]3 à tergo

â tergo eſt, feſtucam ex alterius oculo ejicere conantes, ipſi interim de propriâ trabe ne γρὺ quidem ſolliciti. Scilicet tam latè ſerpſit fallax hoc & blandum φιλαυτίας venenum, ut jam olim acriter cum aliis de eo conqueſtꝰ fuerit Venuſinus ille Olor, cùm in hæc erumperet verba:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Sed ad rhombum. Nomina Auctorum ſi reſpiciamus, alterum quidem Ovidii ſcimus vulgatisſimum, licet huic fœtui minùs genuinum, alterum verò Vigelli non uſque adeò, etiam pluribus eruditioribus, notum eſſe putamus, cum inſuper planè fictitium exiſtimari posſit, argumenti aculeo perſonatum Vatem ſuadente. Atque uti hic, tecto licet vel correpto nomine, verus ſcripti ſui Satyrici auctor creditur; ita alter ſuppoſititio iſto, & plura omninò Secula poſthumo, partu iniquè oneratur. Quicquid ſit, uterq; tamen Auctor, ſive Vigelliano Supercilio vitia mortalium, & in ſpecie Clericorum ſui temporis, pungat, ſive Ovidianæ fronti chriſtianam μετάνοιαν induat, quà ſcopum, laude nequaquã ſuâ inter eruditos caret. Quo autẽ tem-

tempore, vel ubi locorum vixerint, quo itidem in vitæ genere conſtituti [niſi poſterioris de Vetulâ libri ipſum Leonem, contra negantem Barthium, inſulsè fingamus Auctorem] non ſatis liquet. Veriſimile eſt, ambos Chriſtianæ Religionis, ejuratis paganiſmo & hypocriſi, fuiſſe propugnatores ſinceros, ſi non Zelotypos. Quis enim, ſi materiã ſcribentium evolvat, inficias iverit, utrumque, quamvis diverſa intenderint, ſpirare fidei, quam profitebantur, examen ſolito magis rigoroſum, & vitam perfectiori morũ regulæ conformem? Profectò θυμὸν ἐπ]αβόειον [quod epitheton Homerus de Clypeo Ajacis affirmat, Ariſtophanes verò humanæ menti applicat] id eſt, animũ impenetrabilem vel invictum habuiſſe cenſendus eſt noſter ille, quicunque tandem ſit, Vigellus, dum in potentisſimâ illâ, & Occidenti fermè omni venerabili, Pontificiæ Monarchiæ Syzygiâ, atque in tanto Monaſticæ Dignitatis faſtigio, Clericis Romanenſibus ubiq; eminentibus, veritus non eſt ſtylum ſtringere in perverſos ſuorum hominum mores, & in Scenam introducere Monaſticum illum Aſellum, Stultorum omnium Speculum ſcitisſimum & luculentisſimum.

Digitized by Google

Nec magis reprehendendus videtur uterq; ob titulum, ſcripto ſuo inditum, qui ſi à naſutulis quibusdam rictus paſſurus ſit fortè acerbiores, iis non iniquè reponimus Viros, ingenio & judicio excellentisſimos, quos tã vetere, quàm noſtro ævo, in argumento vili vel ridiculo, vires interdum ſuas exercuisſe, in propatulo eſt. Neque enim tantùm circa altiora, aut Virtutes Virorum Principũ occupari ſublimia ingenia cenſendum eſt, qualiter Iſocrates Evagorã Cypriorum Regem, Cicero pro M. Marcello Cæſarem, Plinius Junior Trajanum, Mamertinus Maximianum, Eumenes Conſtantinũ Magnum, Latinus Pacatus Theodoſium, Berneggerus Ludovicum XIII. Galliarum Regem, aliiq; alios laude non vulgari perſecuti ſunt: Neq; circa habitus, vel etiam bona corporis aut fortunæ duntaxat verſari, glorioſum ducunt tactæ genio meliore animæ, quomodo Aphthonius in Progymnasmatis Sapientiã, Syneſius in Dione ſuo Humanitatis Studium, & Liberales Diſciplinas, Dion Chryſoſtomus Eloquentiam, Lucianus in Charidemo Pulchritudinem, Themiſtius Pacem, Libanius Juſtitiam & Agriculturam, elegantibus lucubrationibus exornasſe leguntur: Sed & aliquando

quandoad vilia prolapſi, eruditionis omnis anteſignani, abjectiſſimo argumento, induſtriâ haudquaquam proletariâ, indulſêre, & quod obſcurum aliàs fuerat, imò & ſordidũ an abſurdum? ingenii ſui pernicis excellentiâ, & labore terſiore modicum illuſtrarunt. Ejus farinæ ſunt, ut ex pluribus quorundam duntaxat mentionem faciamus, Virgilii Culex, peculiari carmine Epico deſcriptus, & â Taubmanno Commentario exornatus, Luciani Musca, Apuleji Aſinus, Erasmi Μωρία, Michaëlis Pſelli, Cœlii Calcagnini, & Joſephi Scaligeri Pulex, Ludus Majoragii, Invidia & Scarabæus Turnavii, Aſinus, Pediculus, & Cercopythecus Heinſii. Ut ſilentio prætereamus Orationes & Carmina funebria variis animalibus, puta equo, aſino, cani, ſimio, feli, noctuæ, picæ, gallo gallinaceo, mergo, gryllo, compoſita, quæ Itali, Galli & Belgæ, lepido certamine, non ſine luxu quodam ingenii, hactenus evulgarunt. Hæc enim omnia ſuo ſtant talo, & profundiorem aliquando eruditionis profectum olent.

Ex hoc tamen cenſu meritò rejicimus, & diris omnibus devovemus nefandum illum ingenii abuſum, quo extremæ nequitiæ mãcipium, & deterioris mundi virulentius car-

cinoma, Johannes quidam Bruno, Italus [immunes ſceleris erimus, ſi cum nomine gentē indicaverimus] execrando niſu, infenſiſſimum humani generis hoſtem, ipſum Satanā auſus eſt internecino [ſtupeſcite chriſtiana pectora!] propalare elogio. Qui ſi præmium labore ſuo dignum, â Stygio brabeutâ tandē retulerit, nemini piorū dolendus erit, quicquid tandem metaphyſici crepet aut ululet. Cœterùm quæ de Febri Quartanâ, Cœcitate, aliisque, licet privativis & deſtruentibus, ideoq; magis culpabilibus, Entibus alii eruditè ſcripſerunt, dum certis limitibus incluſi non tam rei ipſi per ſe, quàm accidentibus aliis, quaſi per tranſennam intenderunt animum, & ita ex olere abjectisſimo, Apum inſtar, dulcisſima mella collegerunt, nullatenus improbamus, operi tamen cuique Lydio rationis lapide prudenter admoto.

Iſta itaque, fuſiùs paulò, de argumentis vilioribus hactenus â nobis dicta, Ambos noſtros Verſificatores ab injuriis ſecùs ſentientium, ubertim vindicabunt, & titulos utriusque Operis eò ſtrictiùs excuſabunt, quò magis arduam in fronte præ ſe ferunt Auctorum ætatem, in receſſu ſpirant vitiorum odium, & frugem meliorem. Nec materia,

ria, ſi rém ritè, oculo ſemper ad metam directo, penſites, minoris precii erit, quam defecato tuo judicio potiùs contemplandam relinquimus, quàm ut hîc multis verborum lenociniis in eâ enucleandâ occupemur. Adjectâ tamen hâc notulâ, uti inter utrumque perpetuum discrimen eſt ratione cauſarum externarum, ita non minùs reperiri ratione materiæ: Combinari verò propter vetuſtam iſtam, ab aliis, ut ſupra commemoratum, factam diſpoſitionem vel copulã, eodem collyrio utrique medentem. Et quid ulteriùs in re adeò manifeſtâ hæreamus, cum argumentum utrique libro ſeorſim præfixum, ſubjunctusque peculiaris quaſi Epilogus ſphingem omnem excludat, ſimplici planoque filo & ſtylo rem totam cum cauſis & cœteris circũſtantiis, quantum ſuccincta patitur mentio, enarrans & expediens.

Reſtat, ut de modo ſcribendi, & genere Sermonis, paucilla in medium afferamus. Verba ipſa nuda, vel etiam phraſeologiã ſub incudem examinis revocare, nimis prolixũ foret, neque etiam Ariſtarchi perſonam nobis vindicamus, utpote quibus barbaries, ſuperioribus ſeculis non inſueta, ſatis innotuit, & quam potiùs συμπάσχοντες excipimus, quàm

quàm ut torvo, aut planè Theonino etiam feriamus oculo. Pythagoras, Pericles, Platones, Ariſtoteles, Demoſthenes, Cicerones, Senecas, Marones, Horatios, Statios, vera & ſelectiſſima Literarum & omnis Philoſophiæ ornamenta, tenebræ horum Seculorum denegabant, quibus vel pauciſſimi tandem in monaſteriis hinc inde latentes, ſudore prorſus Herculeo, nocturnâ diurnâq; manu, Hydram ignorantiæ audacter invadebant, & felici conatu, vel parumper tandem proſternebant: Reliqua verò Cœnobitarum Plebs, deteſtando inſcitiæ pelago profundè ſubmerſâ, brutâ conſpiratione, piscibus mutis ſimilis, deſidioſè mucescebat. Quare Virorũ ſummæ eruditionis & doctrinæ, judicia hâc in parte imitantes, Noſtris, interdum ſive quoad vocabula, ſive quoad phraſeologian barbaris, faciles indulgemus, ratione ad ea tempora accuratè habitâ. Illud tamen oblivione nequaquã præterire posſumus, quod, cum non proſâ, & Oratorio ſtylo exarati ſint ambo hi libri, ſed vorſum & Metricum, prior quidem Elegiacum, poſterior verò Heroicum præ ſe ferant ſchema, multis in locis, bonos illos vel licentiâ nimis effreni abuſos, multis hallucinatos fuisſe, multis quoq; contra

tra ipſas Regulas Grammaticas, & in ſpecie Proſodicas graviter impegisſe, tandemque & lacunulis non prorſus liberari, deprehenderimus.

Noſtrum fuit, nec alieno choro, ſecundũ Plutarchum, æquo latiùs, pedem inferre, nec ſine provocatione Senatorem, ac ſine mandatis Legatum, ex effato Ciceronis, agere, quin potiùs Libros eos ſuæ genuinæ integritati & luci, ſi quam iſtius jacturam passi hactenus fuerant, quantũ pote, reſtituere, nec, in minimis etiam, adulterare, ſed bonâ fide, ſicubi necesſitas extorſerat, caſtigare. Perſuaſum nobis habemus, Amice Lector, modeſtiæ noſtræ te velificaturum, & candorem ſinçeri animi, nemini detrectantis, omnib⁹ verò bene cupientis, piè complexurum. Neque negamus, te, ſi perlegeris, plurimos hinc inde errores adhuc reperturum, [de his enim nobis ex parte jam ſermo fuit] cum omninò à nobis intacti remanſerint, prout ab Auctoribus primùm ipſis prodierant: Eos quippe corrigere velle, propriæ magis Sapientiæ [quæ verò illa?] intruſio eſſet, & mera Librorum μεταμόρφωσις, ne dum ſuppoſititius dol⁹. Quocirca ſi quid præter ſpem ab Argo aliquo animadverſum fuerit, quod quoquo modo vel

vel noſtræ oſcitantiæ, vel imprudentiæ, vel inſcitiæ objiciendum protervè cenſeat, ei quidem cum Plinio lubentes concedimus, plus apud Campanos ungventi, quàm apud cœteros olei fieri, interim tamen nòs ipſos oleum & operam omnem prorſus perdidiſſe, non uſq; adeò diffidimus, licet Gorgonem, ac Perſeus, neutiquam noſtris, ſed alienis auſpiciis, aggreſſi fuerimus.

Colophonis vice Teſtimonia Virorum doctorum, Ambobus noſtris Verſificatoribus tributa, adjeciſſe, par erat, quibus & illorũ famæ ac dignitati, ſi à quoquam inſidioſè impetantur, & noſtræ à Superiore impoſitæ, atq; haud fruſtra in excudendis illis inſumtæ, operæ conſulendum videbatur. Si autem & nobis obtingat, quod olim Antimacho Clario Pöetæ, qui, cum convocatis auditoribus, ingens à ſe conſcriptum recitaret volumen, & ab omnibus deſtitueretur, excepto Platone: Legam, inquiebat, nihilominus, Plato enim mihi inſtar eſt omnium auditorum: uti commemorat Cicero libr. de Clar. orat. Ejusdem Antimachi verbis præſidium noſtrum ut quæramus, quid obſtat? Unus proinde multorum inſtar votis noſtris aſpirabit ἐξαίρετος Seculi noſtri Criticus, & Polyhyſtor

yhyſtor Nobiliſſimus, Caſpar Barthius, Eques Imperialis, quem, quà literaturam profundiorem, & Lectionem multijugem, meritò ſibi vendicare illud, quod Juvenalis Satyrâ II. de Catone aſſerit: Tertius è cœlo cecidit Catò: & Cicero lib. 4. Epiſtolarum ad Atticum: Plus unus Cato poterit, quàm omnes quidem judices: omnes ſani Philologi nobiſcum fatebuntur, &, communibus ſuffragiis, Ariſtarchum omnibus modis abſolutum, hâc in parte agnoſcent, modò Hippothoontis illud: Γῆρας λέοντος κρεῖσσον νεβρῶν; id eſt, Senecta Leonis præſtantior hinnulorum juventâ, quod Stobæus citat, apud illos valeat. Is ergò διοπετὴς καὶ ἄλφα τῶν Σοφοτάτων, in ſuo Gulielmo Britone, quo Speculum Boni, Paceq; & Bello Pii, Cordati & Fortunati Principis [qualis deſcribitur, & reverâ fuit Francorum Rex, Philippus Auguſtus â Deo datus, qui regnavit ab anno Chriſti 1180. usque ad annum 1223] depingitur, quemque, â ſe recenſitum, & Comentario illuſtratum, ante quadriennium abhinc, Inclyto, & Divæ Originis Principi ac Domino, Dn. AUGUSTO, Duci Brunovicenſi & Lunæburgenſi etc. cunctorum eruditorum, & doctrinarum, Muſarumque Soſpitatori proſperrimo, ſacravit,

cravit, noſtrum iſtum poſteriorem, Ovidio ſuppoſitum, de Vetulâ Libellum, tribus diſtinctis vicibus, puta Animadverſionum ſuarum pag. 62. pag. 332. pag. 349. citat. Lubet, eorum gratiâ, qui ſtudio hujus rei tenentur, ipſa primi & ultimi loci [medio enim ſola competit allegatio] ex Auctore hùc tranſcribere verba, cum ſuâ polleant ἐπικρίσει. Pag.
„62. ad ℣ 473. Initiare Deo] error in Sylla-
„bam. Fortè ſcripſit primitiare. Sed ſic alii, ut
„qui Pamphili nomine Amores ſcripſit, &
„Ovidii nomine Vetulam, Auctor horum
„temporum ſatis eloquens & Scholaſticus
„nimis. Vulgò duo ſunt, ſed nobis comparet
„diſertim unus. Pag. 349. ad ℣ 585. ita infit:
„Et Auctor Barbarorum Temporum, de Ve-
„tulâ, nomine Ovidii abuſus, cœtera mirè
„ingenioſus, & Lectionis non contemnen-
„dæ, ut ille cenſus habet lib. 2. cap. 25.
„ *Itq́; reditq́; frequens, & narrat plurima.*
„Præcedit eum Auctorem, Pamphili Mauri-
„liani nomine, Liber de Arte amandi, cu-
„jus inſcriptio ſi ingenua eſt, neq; Pſeudo-
„Ovidii titulũ ignorabimus: Omninò enim
„unus, idemq́; Scriptor amborum operum
„eſt. Sed de his alibi. Hæc Barthius, quæ, &
Libri de Vetulâ Auctorem adhuc occultum,

vel dubium, & ſcripti pondus, & editionem aliam â noſtrâ, Pamphilo Mauriliano ſubjunctam, & planiorem ejuſdem, in ſuis editis operibus, mentionem palàm arguunt. Quam poſtremam adhùc dum nos quidem, quibus pleraq́; Barthii ſcripta non ſunt præſtò, inveſtigare haudquaquam potuimus, cupidis non minùs, & quibus inter libros helluari licentiùs, res anguſta domi non obſtat, totum hoc negotium relinquimus. Quemadmodum etiam, quod Vigellum attinet, nobis, ac gladiatoribus Senecæ, in arenâ conſilium capiendùm, & quæ συμποσίων apud Græcos, referente Cicerone *lib. 5. Tuſc. quæſt.* lex erat: Aut bibat, aut abeat: sobriè hùc applicanda. Poſcenti ſcilicet nos Teſtimonia, eaq́; publicè excuſa, de ipſo Vigello, ne tria quidem Steſichori proponere novimus, & Νιόβης ἀρχέτυπον nos cauſari ultrò aſſerimus, quamvis glire ſomnolentiores, aut cucurbitâ Plauti tardiores, minimè in indagandis iisdem fuerimus. Id proinde regerimus, aut Vigellum fato quodam duriore hactenus deſertum, & pulvere monaſtico contritum, aut vitio hominum, correptionem impatienter admodùm ferentium, ſtudioſè abſtruſum, & probiorum oculis fraudulenter ereptum

ptum fuiſſe, vel ad minimum ſubtractum.

Quicquid ſit, ab editione tamen hujus optimi monaſticæ diſciplinæ Cenſoris deſiſtere nos, nolebat Νόμος καὶ χώρα, cui faſces potiùs cum Cicerone [in Bruto ſive de Claris Oratoribus] ſubmittendos, & rationi alienæ, nobis hoc in caſu inſtar oraculi, obtemperandum, prudenter duximus. De te verò, Lector Erudite, dum non niſi optima quæq; ſperamus, [quid enim aliud ſpondeat Sapientiæ conjuncta Pietas?] integritatem tuam denuò ſincerè compellamus, inſimulq́; candido tuo judicio toti inhæremus, à lividis Cynicorum morſibus, vel ignorantiam mentis, vel incontinentiam affectuum affatim prodentibus, ob innocentiam feliciter, & tuâ prothymiâ conſtanter tuti. Benè vale, & pro more tuo, quo cœtera ſoles, hæc noſtra modeſtè perlege, atque binum hoc Opuſculum à nobis denuò editum eſſe crede, Bibliohecarum potiùs, qùa privatarum, quà publicarum gratiâ, quàm Scholarum. Dabam è Muſéo meo ſub auſpiciis illuſtribus, ipſis Idibus Decembr. Anni Æræ Chriſtianæ M. DC LXI.

Jus

Digitized by Google

JUDICIUM HERMANNI CONRINGII.

DE hoc Libro jam tum ſententiam tuli. Eſſe nimirum Satyricum, aut potius Apologum, eleganter atque ingenioſè fictum. Quemadmodum aliâ de Aſino fabulâ luſit quondam Apulejus, aliâ item Lutherus noſter. Nihil ſanè huic operi, quò minùs veniat in exiſtimationem, videtur officere, præterquam ſtyli ruditas, & carminis ratio minùs Pöetica. Autorem ignoro. Nomen Vigelli videtur fictum. Non dubito, eſſe Italum aliquem, qui vixerit fortè ſeculo decimo quarto.

Ad

Ad Zoilum.

Barbara ſi redolent Baviū ſarmenta VIGELLI,
Romuleas nitidi pande MARONIS *opes.*
Scripta quidem pingui ſunt hæc Simulachra Minervâ;
Torva tamen Vitiis Pagina bella movet.
Grande Supercilium, Romani Schema CATONIS,
Si nîl Romani, fronte VIGELLUS *alit.*

Vete-

Digitized by Google




BRUNELLUS

Digitized by Google

VETERIS VIGELLI, qui fertur, SPECULUM STULTORUM.

Incipit Epiſtola Veteris Vigelli, ad Guilhelmũ amicum ſuum Secretum, continens integumentum Speculi Stultorum, ad eundem directi, & inferiùs ſcripti.

Dilecto ſibi in Chriſto, & ſemper diligendo fratri Guilhelmo, Suus Vigellus. Salutem in ſummo & vero ſalutari. Librũ tibi nuper miſi, cujus & titulus & textus legentibus, & non intelligentib⁹, videtur eſſe ridiculoſus. Sed & ſi ſingula ſubtiliter inſpexeris, animumque ſcribentis, & intentionem attenderis, licet ſtylus non minùs ſit rudis, quàm materia, in aliquo poſſet erudiri. Unde, ut tibi in lucem prodeant, quæ verborũ velata ſunt diſſimulatione, pauca tibi breviter, de abſcõditis meis, dignum duxi denudare. Titulus igitur hujus libelli talis eſt: *Speculum Stultorũ*. Qui igitur ſic appellatus eſt, ut inſpicientes, alienâ inſpectâ ſtultitiâ tanquam ſpeculum eam habeant, quo inſpecto, propriam corrigant, diſcantque, in ſeipſis id eſſe reprehendendum, quod, in aliis reprehenſibile, viderint

Digitized by Google

derint quaſi per ſpeculum. Veruntamen, ſicut ſpeculum intuentibus faciem repræſentat & formam; Sed nequaquam in animo præteritæ repræſentationis conſervat memoriam: Sic & ſtultis familiare & rarum ſolet eſſe, vel difficile, â propriâ revocari ſtultitiâ, quantumcunque fuerint eruditi ex alienâ. Dicitur igitur Speculum Stultorum, quia ſtulti, inſpectâ ſapientiâ, ſtatim obliviſcuntur eam: Vel quia ſapientes ex eo etiam proficiunt, qui, dum ſtultorum ſtoliditatem aſpiciunt, ſeipſos componunt, & ex trabe, inſpectâ in oculo alieno, feſtucam ejiciunt de proprio. Hæc de titulo. Introducitur autem Aſinus, animal ſtolidum, volens caudam aliam, & ampliorem, quàm natura contulerat, contra naturã ſibi inſeri. Non reſpiciens, quid neceſſitas expoſcat, & ſtatus utilitas ſuadeat, eoquè magis vota ſua contra naturam acuens, quò ad impoſſibilia ſe convertit, & factus eſt impatiens dilationis. Aſinus iſte monachus eſt, aut quicunque alius religioſus, in Clauſtro poſitus, qui, tanquam aſinus ad Obſequium Domini, ſervitio Divino eſt mancipatus, qui non contentus conditione ſuâ, ſicut aſinus ſuâ caudâ, id, quod naturaliter non accepit, vel naturâ repugnante nequaquam

poterit

Digitized by Google

poterit accipere, affectat, ampliùs ad illud modis omnibus anhelans, & conſulit medicum, quemcunque putat, id ſibi conferre, quod, mente captus, æſtimat eſſe poſſibile. Caudam veterem vult ſibi avelli, & novam inſeri: Quia Vitam Clauſtralem, in quâ deberet usque in finẽ perſeverare, ut ſalvus fieret, omninò faſtidit, quærens omnibus modis, qualiter ab eâ evellatur, & tranſplãtetur, ut nova cauda & prolixa ſibi poſſit accreſcere; ſcil. ut Prioratum vel Abbatiam poſſit ſibi apprehendere, ubi parentum ſuorum ſequelam copioſam poſſit ſibi inſerere, & poſtea, quaſi caudam poſt ſe, quocunque ierit, trahere glorianter. Medicꝰ verò, id eſt iſte, qui deſiderat infirmum hunc curare, dummodò ſit curabilis, audiat, quid aſinus petat, quid deſideret, quò denique tendat, & petitionem habeat pro frivolâ, deſiderium pro ſtulto, id, quò tendit, omninò pro nihilo. Unde ab inceptis ſuadeat deſiſtere, & naturalibus contentum bonis, aliena non appetere: dicens, de facili eum bona, quæ poſſidet, perdere poſſe, ſed perdita non leviter, ſed vix, aut nunquam, recuperare Duæ Vaccæ fuerunt quondam cuidam patrifamilias, quæ, tempore hiemali in quodam prato lutoſo de nocte comoratæ, ſuper-

Digitized by Google

veniente gelu acriori, per caudas lutoſas, terræ, quæ limoſa erat, adhæſerunt, & ita congelatæ ſunt, quod mane, cum ad ſtabula reverti conarentur, nullatenus potuerunt â terrâ caudas evellere, ſed compulſæ invitæ reſidere. Unde cum altera earum fortunæ ſuæ nimis eſset impatiens, illecta verò in amore Vituli, quem nuper domi reliquerat incluſum, caudam ſuam nimis feſtinè præſcidit, domumque recurrit: Suadens ſociæ ſuæ, ut, abſciſsá caudâ, ab impedimento ſe solveret, & secum expedita rediret. Sed illa magis circumſpecta, & ſecũ penſans, quid cauda, quæ oneri eſt hieme, utilitatis conferat in æſtate, conſilio acquieſcere ſuperſedit; expectans, donec ſol, circa meridiem incalescens, & glaciem ſolveret, & gelu temperaret, eamque ſineret imaculatam gaudenter abſcedere, quæ per diſcretionem ſe novit in anguſtiis tẽperare. Hæ duæ vaccæ duo genera hominum ſunt, in religione viventiũ: Sunt enim quidam nimis indiſcreti, & valdè præcipites, qui cum adverſitate aliquâ ſupervenienteſ, quaſi quodam gelu, conſtricti, vel parentum ſuorum teneritudine quâdã, ſicut vacca vituli amore, capti & excœcati, caudam ſuam ſtatim abſcindunt, id eſt, memoriam mortis, quâ ſe â muſcis prætervolanti-

lantibus, & pungentibus, deberent protegere, longè projiciunt: Sed in futurũ non proſpicientes, nec eorum exitus in irâ ſuâ metientes, veteres amicos ſuos, qui eis in neceſſitatibus adesſe poterant, ſine ſpe recuperationis abſcindunt, ſive præſcindunt penitus, & evellunt. Unde in tempore anguſtiæ non immeritò caduntante faciem ſubſequentis, amicorum deſtituti adjutorio, qui noluerunt moderari, quid facerent in furore ſuo. Alij ſunt, qui maturiori reguntur conſilio ſpiritus ſapientiæ & intellectus, in anteriora extenſi, &, quod maximè prudentiæ eſt, fortuitos caſus inopinatorum metiuntur eventuum, qui in aliquo leviter, ſeu graviter, eis posſent nocere: Illud ſapientis præ oculis habentes interioribus, unde Verſus: *A Caſu deſcribe diem, non ſolis ab Ortu*: Non attendentes faciem ſcorpionis, ſed caudam. Hi ſunt, qui in adverſis patienter impatientiũ repulſiones tolerant, qui beneficii ingratos, humili expectatione, in memoriam immemores revocant, qui rerũ exitus plùs, quàm principia, ponderant. Hi ſunt, qui, æſtivi fervoris non immemores, caudam ſuam ſervant, ut muscas abigant & elidant. Cauda extrema pars eſt Corporis, quæ membris omnibus neceſſaria eſt in die incales-

 centis

Digitized by Google

centis ſervoris. Cauda Corporis eſt finis vitæ præſentis, ſignans hunc, qui bonum facit & benè cuſtodit, muſcas, id eſt, Dæmonum inſidias in die fervoris, ſcilicet in die Iudicij, non timebit. Ille verò, qui tempore hiemis, & hujus vitæ præſentis frigescentis, caudam abſciderit, id eſt, extrema ſua corrigere neglexerit, in tormentis cum dæmonib⁹ ſubiacebit. Galienus igitur, volens, ut Aſinus ſaperet, & intelligeret, ac noviſſima provideret, disſuaſione uſus eſt: Sed conſiderans, quod Stulto aliquid contra voluntatem ſuadere, vel disſuadere, nimis ſit difficile, cum eum videret in propoſito ſuo ita pertinaciter perſiſtere, juxta Salomonem, qui ait; reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam: præcepit ei, ut quædam perquireret, quæ erant impoſſibile reperiri. Quaſi manifeſtè ei diceret: Conſilio non acquieſcis, exemplo non inſtrueris; neceſſe eſt, ut labore manuum erudiaris. Multis enim vexatio dedit intellectũ, quos proſperitas nunquam potuit erudire. Aſinus enim, qui vadit emere varia, & in vaſis vitreis ea recondit, Monachus eſt, qui, ut vanitatem, quam deſiderat, asſequatur, circumquaque diſcurrit, gratiam hominum quærens, quæ quaſi vitrum fragile eſt, nuncque adulationibus allicit, nunc muneribus aſtrin-

aſtringit, totque laboribus & ærumnis afficitur pro nihilo, qui longè minori precio poſſet regnum Cœlorum ſibi comparaſſe. Unde plerumque fit, ut, dum ſupra ſe quis rapitur, ſtulta & inania deſideria acquirat non ſolùm, ſed illud etiam modicũ perdat, quod prius habebat. Sic aſinus, qui, cum novam caudam ſibi inſeri laboravit, veterem, omninò confuſus, amiſit. Iſte Frater Fromundus, qui Canes immiſit in aſinum, & poſtea nimis perterritus, ſimulavit, ſe in omnibus ſatisfacturum, cogitans, quomodo eum de medio tolleret; & dum hæc callidè machinaretur, ab aſino in Rhodanũ præcipitatus eſt & ſubmerſus; eos ſignificat, qui fratres ſimpliciores ſuâ aſtutiâ circumvenire, & decipere attentant; ſæpius ipſi in laqueos incidunt, quos aliis abſcondunt. Juxta illud: Neque fuit unquam, vel erit lex æquior ulla, Quàm necis artifices arte perire ſuâ. Verba, quæ ſecum aſinus loquitur, ſecundũ animi ſui motum, nunc fatua nunc indiſcreta, meditationes eorum ſignant indiſcretas & inutiles, qui ponunt impoſibilia in animo ſuo, & ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, ſperant & exſpectant; dies ſuos in Vanitate conſummantes, circa ſeria deſides & negligentes, & circa frivola ſolliciti

 citi

Digitized by Google

citi & præcipites: quorum cogitationes ſtultas & inſtabiles, opera, quæ ſequuntur, oſtendunt, dicente ſcripturâ: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Quod autem ſequitur de filio presbyteri, & pullo gallinæ, qui poſtea pro tibiâ fractâ reddidit talionem, quia per ſe ſatis elucet, ergò non indiget expoſitione. Hoc enim hodie ex conſuetudine verſum eſt in naturam, ut, qui læduntur, vel etiam in minimo offenduntur in pueritiâ, tempus retributionis usq; ad annos ultimæ ſenectutis reſervent in memoriâ, nec acceptam aliquando injuriam obliviſcantur, quousque manifeſtè fuerit expiata per pœnam. Pariter aſinus, qui pariſiis ſcholas frequentat, & literas penè diſcendo, & operam perdit & impenſam, quia diſcedens, nomen Urbis non potuit retinere, in quâ per ſeptennium moram fecit; Illos ſignat, qui cum ſenſus non habeant exercitatos, vel aptos, ad literas & apices intelligendos, tamen, ut videantur in utroque teſtamento eruditi, libros legunt, quos non intelligunt, quorum etiam nomina, eis perlectis, non meminerunt: cupientes potiùs, ut ab hominibus, multa & magna ſcire, credantur, ex aſſiduâ librorum aſpectione, quàm, ut aliquid ſciant in rei veritate. Hi in omnibus

aper-

apertè eruditi ſunt, quouſq; articul⁹ emerſerit, ut res verbis fidem faciat, & ſcientia, diutius abſcondita, per operis effectum in publicū prodeat: Cum turpe & ridiculoſum, id aliquando profiteri non erubeſcere, quod, cum ad rei aſſecutionem perventum fuerit, liquidè appareat, eum omninò neſcire. Sunt autem hodie multi ſimulatores, nec eſt ars, aut Ordo, in univerſo ferè Orbe, in quibus non eſt aliqua ſimulatio. Qui enim artibus vacant, ſimulant ſe ſcire, quod neſciunt. Qui in ordine Religionis vivunt, id volunt videri, quod non ſunt. Unde Brunell⁹ quædā de diverſis ordinibus interſerit jocoſâ quadā inſimulatione reprehendere, quæ noverat, aſperâ increpatione nequaquam ſe poſſe extirpare. Multa enim genera membrorum ſunt, quæ utiliùs ungventum, quàm cauterium, id eſt ferrum, quo utuntur infirmi vel damnati, ad medelam admittunt.

Hæc de prologo Autoris.

Digitized by Google

Incipit Prologus in Speculum Stultorum.

Suſcipe paucа tibi Veteris, Guilhelme, Vigelli
Scripta: minùs ſapido nuper arata ſtylo.
Hoc modicum novitatis opus tibi mitto legendū,
Maxima pars animæ dimidiumque meæ.
Ipſa ſuperficies, quamvis videatur inepta,
Materieque rudis; Verba diſerta minus;
Multa tamen poterit lector ſtudioſus in illis,
Senſibus & ſtudiis carpere digna ſuis.
Non quod verba ſonant, ſed quæ contraria verbis
Inſita ſenſus habet, ſunt retinenda magis.
Quis vetat, ex nugis vario paradigmate ſumpto,
Seria quandoque plurima poſſe loqui (legi).
Sæpius hiſtoriæ brevitas hiſtorica magna
Claudit, & in vili res precioſa latet.
Quicquid ad exemplum morū doctrina propinat
Doctrinæ cauſâ, debet habere locum.

Explicit Prologus,

Incipit Pars Executiva.

SÆpius admiror, dum tempora lapſa revolvo,
Quam fuerint nobis, quamque notanda tibi.
Nil cum præterito, præſens mihi tempus habere
Cernitur, in caudam vertitur omne caput.
Fit de nocte dies, tenebræ de luce ſerenâ,
De ſtulto ſapiens, de ſapiente nihil.
Fit Cato mentis hebes, linguam facundus Ulyſſes
Perdidit, inſtabiles nunc habet aura vices.
Plusquè Catone ſapit, magis eſt facundus Ulyſſe,
Qui non mutus erit, mente manuquè carens.
Quiquè fuit ſapiens duro ſub tempore belli,
Hunc quaſi delirum tempora pacis habent.

Et

Et qui nil ſapuit, niſi ſtultum, tempore duro,
Poſtquam pax redijt, incipit eſſe Cato.
Quodquè magis miror, furantur Neſtoris annos,
Quos nondum partus edidit ipſe ſuus.
Sic fortuna parit, dum partus prodigioſus
Redditur, ex partu prodigioſa ſuo.
Prodiga facta magis, quàm provida, prodigioſam
Cum ſciat ante ſuam ſe peperiſſe diem.
Nam puer impubes Cicerone diſertior ipſo
Fingitur, & magno ſcire Catone magis.
Omnia lunari ſubjecta globo reſerare
Novit, & interdum myſtica multa videt.
Qualemcunq; Virum cupio, quantumq; diſertum
Fingere mente, manu pingere, talis erit.
Sicquè dealbatus paries depingitur extra,
Interius plenus ſordibus atque luto.
Sic pictura lutum veſtit: Sic gemma venuſtat
Stercora: Sic aurum putrida ligna tegit.
Cui nihil eſt per ſe, nec habet, quo tendat in altum,
Expedit, alterius ut relevetur ope.
Eſt tamen abſurdum, cum quilibet ex alieno
Altius intumeat, quàm tumuiſſe decet.
Quamvis de propriâ cum quis virtute ſuperbit,
Sit vitium, levius hoc tamen eſſe puto.
Conſvetudo tamen ſolet attenuare pudorem,
Reddit & audacem, quem mora longa juvat.
Regna licet teneat, ſceptrumque leonis, aſellus,
Juraquè det populis; ſemper aſellus erit.
Asperior tamen eſt, in ſede Leonis aſellus
Si poſitus fuerit, quam foret ipſe leo.
Pelle leoninâ tectum detexit aſellum
Riſus, & excedens gloria vana modum.
Si moderata foret, ſaltem ſub imagine falſâ
Res ſimulata, diu poſſet habere locum:

Sed

Digitized by Google

Sed nimis impatiens gravis in novitate venuſtas,
Præcipites ſaltus in ſua damna dedit.
Dum miſer ipſe ſibi factus fuit, ex alieno
Fortunam didicit dedidiciſſe ſuam.
Perdidit invitus, malè ſe ſimulante leonem,
Quod benè ſive malè credidit eſſe bonum.
Si qua minùs prudens malè perdidit, ex alieno
Perdidit, ex proprio nil periiſſe, liquet.
Quæ fuit ante ſibi, nullo mediante, figura,
Permanet, ex nihilo perdidit ergò nihil.
Qui Leo non potuit fieri, ſi fiet aſellus,
Sufficit, alterius ſarcina pondus habet.
Quoque magis fertur, magis eſt oneroſa ferenti,
Reſpectu vario pondera pondus habent.
Sanius ergò foret alienum non rapuiſſe,
Quàm cum dedecore non retinere ſuum.

De asino, qualiter voluit, caudam suam fieri longiorem.

Auribus immenſis quondam donatus aſellus
Inſtitit, ut caudam poſſet habere parem.
Cauda ſuo capiti quia ſe conferre nequibat,
Altiùs ingemuit de brevitate ſuâ.
Non quia longa ſatis non eſſet ad utilitatem,
Ante tamen quod ſic apocopata foret.
Conſuluit medicos, quia, quod natura negabat,
Artis ab officio poſſe putabat eos.

Responsio Galieni.

Cui Galienus ait: ſatis eſt bipedalis aſellę
Cauda, quid ulteriùs poſcis inepte tibi?
Sufficit iſta tibi, nam quò productior eſſet,
Sordidior fieret proximiorque luto.

Hæc

Hâc niſi contentus fueris, dum fortè requiris
Prolongare nimis, abbreviabis eam.
Quod natura dedit, non ſit tibi vile; ſed illud
Inter divitias ampliùs eſſe puta.
Crede mihi, vetus eſt tibi cauda ſalubrior iſta
Natibus innata, quàm foret illa nova.
Nec placet iſta tamen, ſed habere cupis meliorem;
Artibus & curis inſita, pejor erit.
Sed neque de facili poſſet nova cauda creari,
Quamvis depoſita cauda vetuſta foret.
Vita brevis, morbus gravis eſt, & tempus acutum,
Ars eſt longa nimis; Abdita cauſa latet.
,, Cottidiè fallunt ars & praxis medicinæ,
,, Si tres evadunt, ſeptem dant colla ruinæ.
Difficiles curæ nimium, ſed & experimenta
Ipſa ſuos medicos fallere ſæpè ſolent.
Certa pericla manent, medicorum dogmata non
Qualia tu credis, qualia quisque putat. (ſunt
Sed neque ſic paſſim præſtat medicina ſalutem,
Quamvis diſtribuat arte peritus eam.
Pendet in ambiguo morbi medicina, dolorem
Impedit, atque parit conditione pari:
Quæ proſunt aliis, aliis nocuiſſe probantur,
Non eſt in medico, quam cupit æger, opis.
Velle poteſt Medicus, ſed non conferre, ſalutem;
Gratia diva facit, ipſe miniſter adeſt.
Sæpè quidam medici fallunt, falluntur & ipſi,
Et vice converſâ, quæ nocuêre, juvant.
Eſto, quod ars mandat, faciat, nec abinde recedat,
Non tamen evenient, quæ cupit ipſe ſibi.
Solus enim Deus eſt morbis medicina ſalutis,
Nos tantum velle poſſumus ipſe poteſt.

Nos

Digitized by Google

Nos nihil abſque ſuo, vel eo nos præveniente,
Poſſumus: ipſe ſibi ſufficit absque meo.
Nos herbis varijs, pigmentis & ſpeciebus
Utimur, hic verbo ſingula ſana facit.
Dicimur à populo medici, ſed nomine ſolo:
Sed Deus eſt medicus nomine, reque ſimul.
Quam dedit ille tibi caudam, retinere memento,
Stulte, nec ulteriùs ulteriora petas.
Ne perdas, quod habes; quod habes, tenuiſſe labora,
Ne veniant ſubitò deteriora tibi.
Quam tibi plantavit caudam, qui contulit aures,
Si mihi credideris, hanc retinere ſtude.
Inque ſtatu, quo te medicus tuus ille reliquit,
Sta, donec veniat, mutet & ipſe ſtatum.
Tutius eſt certè, modico gaudere ſalubri,
Quàm magnis triſti conditione frui.
Volvere multa ſolet animi meditatio ſtulta,
Quæ magis impediunt, quàm ſua vota juvant.
Auribus ex propriis poteris cognoſcere, quis ſis,
Quàm ſit & abſurdum, quod ſtatuiſſe cupis.
Auribus ex geminis tria corpora talia poſſis
Inveſtire ſatis, & remaneret adhuc.
Non honor eſt, ſed onus tales aures habuiſſe,
Quæ pariant Domino nil niſi damna ſuo.
Auribus ecce tuis ſi par tibi cauda fuiſſet,
Quid ſi juncta ſimul? hæc duo monſtra forent.
Innatum ſolum ſatis eſt in corpore monſtrum,
Ingeminata nimis deteriora forent.
Cum pateant oculis quæ ſunt manifeſta duobus,
Faciliùs poterit una latere lues.
Ex re nomen habens modò diceris auriculatus,
Riſus & es populi, ludibriumque fori.

Quid

Digitized by Google

Quid ſi cauda tibi fieret quaſi pertica longa?
Per caput & caudam tunc trahereris item.
Si duo monſtra ſimul Corpus jungantur in unum,
A populo digitis nonne notandus eris.
Magnum magna decent, brevis es, nihil utilitatis,
Quàm tibi cauda brevis, amplius ampla daret.
Tutius ergò puto caudam retinere vetuſtam,
Quàm plantare novam, quæ minùs apta foret:
Et neque cauda nova, quod & auditu novitatem
Narrat inauditam, crescere posſet ita.
Res facilis dictu, ſed difficilis nimis actu,
Verba ruunt ſubitò, rem mora longa trahit.
Eſt leve dixisſe, quæ ventus & aura miniſtrant,
Sed fecisſe quidem, non leve pondus habet.
Dicere multorum eſt, ſed vox niſi creſcat in actum,
Eſt vento ſimilis, ventus & ipſe levis.
Dicere quisque poteſt, ſed dictis jungere facta,
Si bene perpendas, non ita quisque poteſt.
Hæc duo ſunt ejus, cujus ſunt omnia, per quem
Omnia, ſub quo ſunt omnia jure pari:
Cujus idem posſe, quod velle, nec hoc minus illo,
Qui ſolus cunctis contulit esſe ſuum:
Qui facit & reficit, creat, atque creata gubernat,
Non minor, aut major tempore, sive loco.
Hujus in arbitrio pendent mortalia quæque:
Hic, & non alius, præſtitit esſe tibi.
Quod dedit ipſe tibi, qualem te contulit esſe,
Etſi nolueris, improbe, talis eris.
Cur non ſuſtineas, quod oportet ſuſtinuisſe,
Ejus ad arbitrium, quem cohibere nequis.
Crede mihi, nihil eſt, fieri quod posſe putaſti,
Quod natura negat, reddere nemo poteſt.

Incre-

Digitized by Google

Increpatio Galieni.

Increpat eum per comparationem.

NUmquid enim Cervus, ſaliens in montib⁹ altis,
Supplicat atque petit, qualia, ſtulte, petis.
Si te majores, si te quoque nobiliores
Talia nulla rogant, tu quid inepte rogas?
Nil lepus aut urſus, caper aut capra, dannula cerv⁹,
Cauſantur caudæ de brevitate ſuæ.
Numquid es melior, major, vel ſanctior unus?
Et tamen his brevior, quàm tibi, cauda manet.

Consolatio Galieni.

NObile Corpus habes, nō ſit tibi cauda pudori,
Nam ſi cauda brevis, eſt tibi grande Caput.
Non brevis eſt adeò, quod non aliis breviorem
Eſse liquet: Satis eſt ergò remisſa tibi.
Quod minus eſt caudæ, capitis ſupplebis honore,
Non decet, ut fiant illud & illa pares.
In titulo caudæ Francorum Rex Ludovicus
Non tibi præcellit pontificesque ſui.
Firmiter ergò tene, quod habes, quia conditionē
De facili posſes damnificare tuam.

Narratio Galieni, ut revocet asinum â ſuâ ſtultitiâ per apologum de duabus Vaccis.

AN nescis, Vaccis quod contigit ecce duabus,
Quas puer aſpexi patris in æde mei?
Altera Brunetta fuit, altera dicta Bicornis:
Sed nigra Brunetta, flava Bicornis erat.
Contigit has igitur hiemali tempore quodam
Nocte retardatas non rediiſse domum.

Per

Per vada tranſibant limoſa, lutoque repleta,
 Paſcua cum peterent cottidiana ſibi.
Utque ſolent vaccæ, caudis de more lutoſis,
 In pratis, luteis concubuêre toris.
Nocte gelu ſubitum veniens, terramq; perurens
 Contulit in ſolidum mollia cuncta prius.
Diruit in lapidem quicquid fuit ante lutoſum,
 Stagna, lacus, fontes, marmoris inſtar erant.
Quas fovet innatas ligat arctius alveus undas,
 Nec ſinit elabi flumina more ſuo.
Tot pontes, quot aquæ, liber nec, ut ante, negatur,
 Tranſitus eſt per aquas, quà via plana placet.
Hæſerunt terræ, caudâ mediante, juvencæ,
 Arctius aſtringit terra lutoſa lutum.
Undique terra riget, caudas retinente rigore,
 Surgere non poterant, nec remeare domum.
Mane revertente pariter voluêre reverti,
 Sed prohibet glacies conglutinata ſolo.
Plurima conatæ, ſpem defruſtrante labore,
 Tandem laſſatas continuêre manus.
Multa tamen querulæ, tacitoq; dolore gementes
 Attentare ſtudent, & variare vices.
Sed nihil eſt, quod agunt, propriâ virtute reſolvi
 Non ſinit objecta vis violenta ſibi.
Anxia facta nimis vitulo clamante Bicornis,
 Anxius inſtabat poſſe referre pedem.
Nam nova nata domi ſtabulis incluſa relicta
 Heſterno fuerat, ne ſequeretur eam.
Sed nil proficiens cum deſperata laboris
 Jam foret, ingemuit altius, hæc & ait:
Una ſalus ſupereſt, caudas reſecare lutoſas,
 Quæ retinent miſeras, nec remeare ſinunt.
Quid mea cauda mihi? Vel quid mihi contulit un-
 Quis fructus? Vel quæ gloria cauda mihi? (quam?

En per eam teneor tanquam captiva. Quid ergo?
  Non honor eſt, ſed onus hæc mea cauda mihi.
Attrahit ipſa lutum pendens, oneratque ferentem;
  Quid tribuat, video nil, niſi triſte, mihi?
Libera nunc eſſem, nulloque tenente redirem,
  Ni foret in caudâ ſordida cauſa mihi.
Tollere materiam, ne propter materiatum
  Hic ego deficiam, tutius eſſe puto.
Cauſidici dicunt, quia legibus eſt ita cautum,
  Cauſatum perimit cauſa perempta ſuum.
Sanius eſt partem, quàm totam perdere caudam,
  Quàm caput, hoc modicū, quàm meliora, min⁹.
Malo mihi caudam pariter cum carne revelli,
  Quàm ſubitò vitam perdere morte meam.
Forſitan hìc aliàs ſimili ratione morirer,
  Quoque modo teneor, nunc retinerer item.
Si mea cauda modò fuerit ſucciſa, regreſſus
  Tutior hic aderit, quàm fuit ante mihi.
Parvula, ſi peream, mecum mea nata peribit,
  Quam nondum quintum conſtat habere diem.
Et ſi non pro me faciam mihi talia, ſaltem
  Propter eam fieri cogit oportet ita.
Corporis hæc noſtri pars eſt, quam dente procaci
  Conſuevére canes dilacerare prius.
Dimidiumque ferè jam pridem ſurripuêre:
  Heu mihi! quid reliquum reſtitit uſque modò?
Quod ſupereſt canib⁹, placet hoc impendere natæ,
  Hocque pium ſatis eſt, hocque ſalubre mihi.
Ergò quid ulteriùs, quæ ſum factura, morabor,
  Caſibus in duris accelerare juvat,
Dixit & arreptam caudam pugione recîdit,
  Feſtinanſque domum carpere cœpit iter.
Ante tamen ſtuduit ferrum præſtare ſorori,
  Poſſet ut á ſimili ſolvere vincla ſibi.

Sed

Digitized by Google

Sed minùs hæc præceps, prudens magis, & sapiẽter
Verba tulit, cohibens â pugione manum.

Responsio Brunettæ.

POſt, ea reſpondens, dicit: quid, inepta, laboras?
Quid mihi perſuades? abſit, ut illud agam.
Rebus in adverſis opus eſt medicamine multis,
Non decet in gravibus præcipitare gradum.
Rebus in ambiguis quoties fortuna laborat,
Conſilium præceps nón decet eſſe nimis.
Impetus, ut memini, gravis eſt, malè cuncta miniſtrat,
Si malè cuncta facit: ergò nec ulla bene.
Non opus eſt gravibus, ubi res gravis eſt & acerba,
Sed magis auxilio conſilioq; bono.
Mitiùs in duris ſapiens Cato mandat agendum,
Mollia ne pereant aſperitate gravi.
Res ubi difficilis, non eſt ita præcipitandum,
Tempore ſanatur, quod ratione nequit.
Si fortuna modò gravis eſt, converſa repentè,
Quod grave portamus, alleviabit opus.
Tempora labuntur, Dominiq; cadunt, renovantur
Servi, vulgus abit, atria lata patent,
Quæ veniunt ſubitò, ſubitò quandoq; recedunt,
Proſpera cum duris mixta venire ſolent.
Fortuitos caſus non eſt vitare volentum,
Nemo futurorum præſcius eſſe poteſt.
Plus valet interdum, non prætimuiſſe futura,
Quàm certum fieri, ſollicitumq; nimis.
Nam ſua multotiens docuit vexatio multos,
Obfuit & multis proſperitate frui.
Caſibus in lætis minor eſt ſolertia multis,
Erudit incautos ſollicitudo gravis.
Caſibus in lætis magis e[illegible] metuenda Voluptas,
Segniùs in Vitium tri[illegible] corda ruunt.

Integra Troja fuit, dum ſe ſuſpectus utrumq;
Subtraxit durus hoſtis ab hoſte ſuo.
Pax data ſubvertit, quæ prœlia non potuerunt,
Mœnia, plus nocuit Rege remiſſa manus.
Sola venire ſolent & vix & rarò ſecunda:
Turbine vallata ſors inimica venit.
Si fortuna dedit dudum mihi dulcia, quare
Dedigner ſub eâ paucula dura pati?
Dura quidem patior, ſed non duranda per annum,
Nondum præteriit tota vel una dies.
Principis aut Regis ſi carcere tenta ligarer,
Aſperiora luto ferrea vincla forent.
Mollius eſſe lutum ferro quis neſciat? ipſos
Reges & Satrapas ferrea vincla tenent.
Si leviora luti, quàm regia vincula ferri,
Eſt levior certè ſors mea ſorte ſuâ.
Illos fortè ſua qvinqvennia vincula ſervant,
Forſitan in triduo carcere ſolvar ego.
Flante levi Zephyro, notus in ſua regna redibit,
Præcipientq; ſtatum prata lutoſa ſuum.
Tunc diſſolventur mea per ſe vincula gratis,
Et remanebit adhuc hæc mea cauda mihi.
Me citò privasſe poſſem, ſed pœnituiſſe
Forſitan æternum, perpetuumque foret.
Sorte pari poterit nox una reſolvere vinctam,
Sicut & anteriùs una ligavit eam.
Non decet, ut quotiens qvædam minùs apta pu-
Quod quis perpetuo jure releget ea. (tantur,
Si, quibus obſtat Hiems, æſtatis gratia proſit,
Ut, ſua qvem dejicit ſors, aliena levet.
Sicque vices variant, Parcæ ſua tempora mutant,
Poſſet ut alterius alter honore frui.
Dulce relativum ſocialia fœdera jungit,
Fortiùs incedunt fœdera juncta mihi.

Quod

Digitized by Google

Quod minus alter habet, ſuâ quem fortuna gravavit,
Suppleat alterius copia grata magis.
Nil ita præcipuum, vel tam ſublime creatum,
Ut non alterius poſſet egere manu.
Tempora, ſive vices vario diſcrimine certant,
Nec cöeunt nexu fœdera quæque pari.
Sæpe breves frutices ad terram ſternere plauſtra
Vidimus, & celeres detinuiſſe boves.
Sæpe brevis magnas ſubvertit machina turres,
Impulſuque levi mœnia ſumma ruunt.
Se premit imbre brevi violentia maxima venti,
Atque procelloſas mitigat Eurus aquas.
Nil contemnendum reputes, qvod tempore quovis
Ferre vel auxilium, vel nocuiſſe poteſt.
Vilius interdum, quod carius eſſe putamus,
Conſtat, & eſt majus, qvod minus eſſe putas.
Obſtitit interdum magnis res parva periclis,
Terruit & rapidos parvula virga canes.
Urbibus in mediis incendia magna repentè
Extingui modicâ ſæpe videmus aquâ.
Corporis ergò mei quamvis pars ultima, cauda,
Utilius tamen hâc nil reor eſſe mei.
Quæ qvamvis oneri modò ſit, nulliqúe decori,
Æſtivo redimit tempore damna ſui.
Unica cauda mihi plus, quàm duo cornua præſtant
Tempore muſcarum, plusque ſalutis habet:
Ventilat hæc veſpas, ſævos diſpergit oëſtres,
Verberat & muſcas improbitate graves.
Cauda mihi clypeus, gladius mihi cauda, ſecuris,
Lancea, funda, lapis, clava, ſagitta, faces.
Cauda colit corpus, cutis eſt fidisſima nutrix,
Pulveris abſtergens qvicqvid adhæſit eis.
Hæc lavat, hæc tergit, hæc omnibus una miniſtrat,
Ultima membrorum, prima labore ſuo.

Si bene penſetur, quid honoris & utilitatis
 Contulerint Dominæ ſingula membra ſuæ?
Sola ſuo capiti membris ſed & omnibus una
 Plus valet, eſt & eis officioſa magis.
Omnibus, una cavens fragilis diſcrimina ſexus,
 Publica ne pateant cauda pudenda tegit.
Hæc mea cauda mihi vario pro tempore confert,
 Quæ tamen eſt certo tempore grata magis.
Tempora nam timeo, quæ ſunt mihi jure timenda,
 Nec timet incaſſum, qui mala vota timet.
Cumque quid & paſſa ſim, vel paſſura, recordor,
 Hæc ego ſum ſemper dicere viſa mihi:
Ecce dies veniunt Veris, muſcæque reſurgunt,
 Quas caſtigat adhuc cana pruina gelu.
Cum calor Æſtatis nimio calore per agros
 Sperſerit omne pecus, terrueritque greges:
Muſca, gravis peſtis, quâ nulla nocivior unquam
 Extitit in mundo, vel magis atra lues.
Dente gravi miſeras totum ſperſura per orbem
 Percutiet pecudes, nec ſinet ire pedes.
Namque levi ſaltu tanqvam per inane volantes
 Morſibus & ſtimulis exagitabit eas.
Illa dies caudam cunctis docet eſſe ſalubrem,
 Et ſuus æſtatem prævenit augur, hiems.
Fortè dies aderit, in qvâ, nî fallor, egebit
 Vacca ſuâ caudâ, qvam modò ſprevit ita.
Illa dies caudæ faciet meminiſſe juvencas,
 Et ſteriles vaccas, emeritasque boves.
Illa dies caudæ faciet meminiſſe Bicornis,
 Quâ malles caudâ non habuiſſe caput.
Illa dies caudas mundo faciet precioſas,
 Quæ plus ſunt viles, qvàm vetus olla modò.
Illa dies dura, multumque timenda per orbem,
 Tanquam Judicii plena timoris erit.

Illa

Illa dies caudas noſtras numerabit. & illa
Diſcernet pariter, quæ bona, quæve mala.
Illa dies caudas noſtras diſcernet utraſque,
Quæ bene mundata, qvæve lutoſa nimis.
Hæc eſt illa dies, in quâ, ſi fortè juvenca
Poſſet habere duas, mallet habere decem.
Hæc eſt illa dies, veniet quâ durus Oeſter;
Tortor vaccarum maximus, atque boum.
Hæc eſt illa dies, quæ muſcas, dente caninas,
Morſibus & ſtimulis mittit in omne pecus.
Hæc eſt illa dies, quam prætimuiſſe futuram
Expedit armento, ne patiatur in hâc.
O mihi quàm felix! miſeræ, quæ poſſet ab illâ
Evaſiſſe die, qvam timet omne pecus.
Hanc etiam plus morte meâ formido futuram,
Quâ niſi tunc munda, non ero tuta ſatis.
Namque graves muſcæ nimiùm, fervorque diei
Multus erit, nec ibi quis latuiſſe poteſt.
Nec pecori tantùm fervor, muſcæque nocebunt,
Sed dominis pecorum, paſtoribusque gregum.
Hæc eſt illa dies, quâ non aliena juvabit
Cauda, nec alterius quid nocuiſſe poteſt.
Sed ne paſtor ibi pecoris, taurusve juvencæ,
Parve pari poterit ferre ſalutis opem.
Hæc eſt illa dies, de qvâ niſi vera fatemur,
Pendet ab illius noſtra ſalute ſalus.
Ergò licet tenear caudâ, graviterque coarcter,
Non tamen affrangar ipſa dolore meo.
Malo per has ſeptem, vel quinque, dies cruciari,
Forſitan interea triſtis abibit Hiems.
Quàm prælonga nimis me fervida torreat æſtas,
Dilaceretque meam muſca canina cutem.
Talia dum memorat, modico recreata ſopore,
Flante brevi Zephyro, tempora verſa videt.

Digitized by Google

Sol calet, & ſuperas clarus dux exit in auras,
Diffuſis radiis temperat omne gelu.
Solvitur unda fluens, humus exhilarata tepeſcit,
Aufugit & ſubitò cana pruina ſolo.
Et ſtatus & facies ſilvis redduntur & arvis,
Cuncta relaxantur, carcere clauſa priùs.
Nec mora, conſurgens caudam Brunetta retraxit,
Acceleransque domum carpere cœpit iter.
Quam procul ut vidit ſanam remeare Bicornis,
Ingemuit, tonſo pectore, triſtis ait:

De Lamentatione Bicornis.

Heu mihi! quid feci? quis me furor egit iniquus?
Quàm nimis accelerans in mea damna fui?
O quàm perduros habet impatientia fines!
Quamque ſolet præceps exitus eſſe gravis!
Væ mihi! væ miſeræ! væ nunquam non miſerandæ!
Væ, cui nîl niſi væ tempus in omne manet!
Væ mihi! nunc quid ego? cunctis animantibus una
Sum data ludibrio tempus in omne meum.
Cur mihi cum caudâ non eſt mea vita recîſa?
Ut caput & cauda continuata forent.
Cur non terra priùs, cur non abſorbuit unda
Fluminis? aut miſſis ignibus uſta fui?
Quæque nimis præceps, cur non mea fata ſecuta,
Montibus ê ſummis præcipitata rui?
Heu mihi! cur laquei circum mea guttura miſſi
Vitam cum vitio non rapuêre meo?
Cur non mors ſubita vitam, vel ſonticus illam
Morbus ademiſſet, qui vagus eſſe ſolet?
Quid queror? una mihi ſupereſt medicina doloris,
Mors cita, quæ ſola ſolvere cuncta ſolet.
Nec mora, quin ſolvat, jam formidabilis æſtas
Imminet, exit Hiems, vere vigente novo.

Digitized by Google

Vivet in Exemplum populis, moritura Bicornis,
Inſtruet & ſtultos ſimplicitate ſuâ.
Diſcant præcipites, & quos mora nulla retardat,
Ne nimis accelerent in ſua damna manus.
Non reputet modicum modico contẽta voluptas,
Res te poſt factum, quod fuit ante, docet.
Nec, modicũ quicquam reputet ſi tempore quovis
Fortuito caſu perdere poſſet idem.
Cauda nocet capiti proprio, prohibetque timeri
Cornua, dum metuunt poſteriora ſequi.
Quid queror incaſſum? mando tamen iſta moder-
Qui poſt me venient, hæc duo verba legant: (nis,
Dũ ſupereſt nihil eſt, nihiloq; minus quod habetis
Cedat, & eſt magnum, quod fuit ante nihil.
Nil mea cauda fuit, mihi cum conjuncta maneret,
Maxima ſed, poſtquam deſiit eſſe, fuit.
Perdere cum timeas magnum, reputare memento,
Quicquid habes, modicum ſit licet illud idem.
Deſierat tandem, mentis ſtimulata Bicornis
Anxietate gravi, talia verba loqui.
Venerat interea tempus, quo fertilis æſtas
Prata ſolet primo pingere flore novo.
Induerat jam fronde nemus, jam gramine terras
Texerat, intextis floribus arte pari.
Exierant volucres hiemis de carcere fracto,
Solvere finitimis digna tributa locis.
Verba negata ſibi redimens philomela ſonora
Vocibus inſiſtit, perſonat omne nemus.
Quos natura vocat, cum turture venit hirundo,
Adventusque ſui tempora certa tenent.
Nuncius auroræ merulam comitatur alauda,
Nec ſua permutant tempora lege novâ.
Semper idem repetens, veteri nova tẽpora voce
Oſtendit cuculus, nil novitatis habens.

INCREPATIO GALIENI.

Increpat eum per comparationem.

NUmquid enim Cervus, ſaliens in montib⁹ altis,
Supplicat atque petit, qualia, ſtulte, petis.
Si te majores, si te quoque nobiliores
Talia nulla rogant, tu quid inepte rogas?
Nil lepus aut urſus, caper aut capra, dannula cerv⁹,
Cauſantur caudæ de brevitate ſuæ.
Numquid es melior, major, vel ſanctior unus?
Et tamen his brevior, quàm tibi, cauda manet.

CONSOLATIO GALIENI.

NObile Corpus habes, nō ſit tibi cauda pudori,
Nam ſi cauda brevis, eſt tibi grande Caput.
Non brevis eſt adeò, quod non aliis breviorem
Eſſe liquet: Satis eſt ergò remiſſa tibi.
Quod minus eſt caudæ, capitis ſupplebis honore,
Non decet, ut fiant illud & illa pares.
In titulo caudæ Francorum Rex Ludovicus
Non tibi præcellit pontificesque ſui.
Firmiter ergò tene, quod habes, quia conditionē
De facili poſſes damnificare tuam.

NARRATIO GALIENI, UT REVOCET aſinum â ſuâ ſtultitiâ per apologum de duabus Vaccis.

AN neſcis, Vaccis quod contigit ecce duabus,
Quas puer aſpexi patris in æde mei?
Altera Brunetta fuit, altera dicta Bicornis:
Sed nigra Brunetta, flava Bicornis erat.
Contigit has igitur hiemali tempore quodam
Nocte retardatas non rediiſſe domum.

Per

Digitized by Google

Per vada tranſibant limoſa, lutoque repleta,
Paſcua cum peterent cottidiana ſibi.
Utque ſolent vaccæ, caudis de more lutoſis,
In pratis, luteis concubuêre toris.
Nocte gelu ſubitum veniens, terramq; perurens
Contulit in ſolidum mollia cuncta prius.
Diruit in lapidem quicquid fuit ante lutoſum,
Stagna, lacus, fontes, marmoris inſtar erant.
Quas fovet innatas ligat arctius alveus undas,
Nec ſinit elabi flumina more ſuo.
Tot pontes, quot aquæ, liber nec, ut ante, negatur,
Tranſitus eſt per aquas, quà via plana placet.
Hæſerunt terræ, caudâ mediante, juvencæ,
Arctius aſtringit terra lutoſa lutum.
Undique terra riget, caudas retinente rigore,
Surgere non poterant, nec remeare domum.
Mane revertente pariter voluêre reverti,
Sed prohibet glacies conglutinata ſolo.
Plurima conatæ, ſpem defruſtrante labore,
Tandem lasſatas continuêre manus.
Multa tamen querulæ, tacitoq; dolore gementes
Attentare ſtudent, & variare vices.
Sed nihil eſt, quod agunt, propriâ virtute reſolvi
Non ſinit objecta vis violenta ſibi.
Anxia facta nimis vitulo clamante Bicornis,
Anxius inſtabat posſe referre pedem.
Nam nova nata domi ſtabulis incluſa relicta
Heſterno fuerat, ne ſequeretur eam.
Sed nil proficiens cum deſperata laboris
Jam foret, ingemuit altiùs, hæc & ait:
Una ſalus ſupereſt, caudas reſecare lutoſas,
Quæ retinent miſeras, nec remeare ſinunt.
Quid mea cauda mihi? Vel quid mihi contulit un-
Quis fructus? Vel quæ gloria cauda mihi? (quam?

En per eam teneor tanquam ca[...]va. Quid ergo?
Non honor eſt, ſed onus hæc mea cauda mihi.
Attrahit ipſa lutum pendens, oneratque ferentem;
Quid tribuat, video nil, niſi triſte, mihi?
Libera nunc eſſem, nulloque tenente redirem,
Ni foret in caudâ ſordida cauſa mihi.
Tollere materiam, ne propter materiatum
Hic ego deficiam, tutius eſſe puto.
Cauſidici dicunt, quia legibus eſt ita cautum,
Cauſatum perimit cauſa perempta ſuum.
Sanius eſt partem, quàm totam perdere caudam,
Quàm caput, hoc modicū, quàm meliora, min⁹.
Malo mihi caudam pariter cum carne revelli,
Quàm ſubitò vitam perdere morte meam.
Forſitan hìc aliàs ſimili ratione morirer,
Quoque modo teneor, nunc retinerer item.
Si mea cauda modò fuerit ſucciſa, regreſſus
Tutior hic aderit, quàm fuit ante mihi.
Parvula, ſi peream, mecum mea nata peribit,
Quam nondum quintum conſtat habere diem.
Et ſi non pro me faciam mihi talia, ſaltem
Propter eam fieri cogit oportet ita.
Corporis hæc noſtri pars eſt, quam dente procaci
Conſuevére canes dilacerare prius.
Dimidiumque ferè jam pridem ſurripuêre:
Heu mihi! quid reliquum reſtitit uſque modò?
Quod ſupereſt canib⁹, placet hoc impendere natæ,
Hocque pium ſatis eſt, hocque ſalubre mihi.
Ergò quid ulteriùs, quæ ſum factura, morabor?
Caſibus in duris accelerare juvat,
Dixit. & arreptam caudam pugione recîdit.
Feſtinanſque domum carpere cœpit iter.
Ante tamen ſtuduit ferrum præſtare ſorori,
Poſſet ut á ſimili ſolvere vincla ſibi.

Sed

Sed minùs hæc præceps, prudens magis, & ſapiẽter
Verba tulit, cohibens â pugione manum.

Responsio Brunettæ.

POſt, ea reſpondens, dicit: quid, inepta, laboras?
Quid mihi perſuades? abſit, ut illud agam.
Rebus in adverſis opus eſt medicamine multis,
Non decet in gravibus præcipitare gradum.
Rebus in ambiguis quoties fortuna laborat,
Conſilium præceps nón decet eſſe nimis.
Impetus, ut memini, gravis eſt, malè cuncta miniſtrat,
Si malè cuncta facit: ergò nec ulla bene.
Non opus eſt gravibus, ubi res gravis eſt & acerba,
Sed magis auxilio conſilioq; bono.
Mitiùs in duris ſapiens Cato mandat agendum,
Mollia ne pereant aſperitate gravi.
Res ubi difficilis, non eſt ita præcipitandum,
Tempore ſanatur, quod ratione nequit.
Si fortuna modò gravis eſt, converſa repentè,
Quod grave portamus, alleviabit opus.
Tempora labuntur, Dominiq; cadunt, renovantur
Servi, vulgus abit, atria lata patent.
Quæ veniunt ſubitò, ſubitò quandoq; recedunt,
Proſpera cum duris mixta venire ſolent.
Fortuitos caſus non eſt vitare volentum,
Nemo futurorum præſcius eſſe poteſt.
Plus valet interdum, non prætimuiſſe futura,
Quàm certum fieri, ſollicitumq; nimis.
Nam ſua multotiens docuit vexatio multos,
Obfuit & multis proſperitate frui.
Caſibus in lætis minor eſt ſolertia multis,
Erudit incautos ſollicitudo gravis.
Caſibus in lætis magis eſt metuenda Voluptas,
Segniùs in Vitium triſtia corda ruunt.

Digitized by Google

Integra Troja fuit, dum ſe ſuſpectus utrumq;
  Subtraxit durus hoſtis ab hoſte ſuo.
Pax data ſubvertit, quæ prœlia non potuerunt,
  Mœnia, plus nocuit Rege remiſſa manus.
Sola venire ſolent & vix & rarò ſecunda:
  Turbine vallata ſors inimica venit.
Si fortuna dedit dudum mihi dulcia, quare
  Dedigner ſub eâ paucula dura pati?
Dura quidem patior, ſed non duranda per annum,
  Nondum præteriit tota vel una dies.
Principis aut Regis ſi carcere tenta ligarer,
  Aſperiora luto ferrea vincla forent.
Mollius eſſe lutum ferro quis neſciat? ipſos
  Reges & Satrapas ferrea vincla tenent.
Si leviora luti, quàm regia vincula ferri,
  Eſt levior certè ſors mea ſorte ſuâ.
Illos fortè ſua qvinqvennia vincula ſervant,
  Forſitan in triduo carcere ſolvar ego.
Flante levi Zephyro, notus in ſua regna redibit,
  Præcipientq; ſtatum prata lutoſa ſuum.
Tunc diſſolventur mea per ſe vincula gratis,
  Et remanebit adhuc hæc mea cauda mihi.
Me citò privaſſe poſſem, ſed pœnituiſſe
  Forſitan æternum, perpetuumque foret.
Sorte pari poterit nox una reſolvere vinctam,
  Sicut & anteriùs una ligavit eam.
Non decet, ut quotiens qvædam minùs apta pu-
  Quod quis perpetuo jure releget ea. (tantur,
Si, quibus obſtat Hiems, æſtatis gratia proſit,
  Ut, ſua qvem dejicit ſors, aliena levet.
Sicque vices variant, Parcæ ſua tempora mutant,
  Poſſet ut alterius alter honore frui.
Dulce relativum ſociali fœdera jungit,
  Fortiùs incedunt fœ[illegible]a juncta mihi.

Quod minus alter habet, ſuâ quem fortuna gravavit,
Supplcat alterius copia grata magis.
Nil ita præcipuum, vel tam ſublime creatum,
Ut non alterius poſſet egere manu.
Tempora, ſive vices vario diſcrimine certant,
Nec cöeunt nexu fœdera quæque pari.
Sæpe breves frutices ad terram ſternere plauſtra
Vidimus, & celeres detinuiſſe boves.
Sæpe brevis magnas ſubvertit machina turres,
Impulſuque levi mœnia ſumma ruunt.
Se premit imbre brevi violentia maxima venti,
Atque procelloſas mitigat Eurus aquas.
Nil contemnendum reputes, qvod tempore quovis
Ferre vel auxilium, vel nocuiſſe poteſt.
Vilius interdum, quod carius eſſe putamus,
Conſtat, & eſt majus, qvod minus eſſe putas.
Obſtitit interdum magnis res parva periclis,
Terruit & rapidos parvula virga canes.
Urbibus in mediis incendia magna repentè
Extingui modicâ ſæpe videmus aquâ.
Corporis ergò mei quamvis pars ultima, cauda,
Utilius tamen hâc nil reor eſſe mei.
Quæ qvamvis oneri modò ſit, nulliqúe decori,
Æſtivo redimit tempore damna ſui.
Unica cauda mihi plus, quàm duo cornua præſtant
Tempore muſcarum, plusque ſalutis habet.
Ventilat hæc veſpas, ſævos diſpergit oëſtres,
Verberat & muſcas improbitate graves.
Cauda mihi clypeus, gladius mihi cauda, ſecuris,
Lancea, funda, lapis, clava, ſagitta, faces.
Cauda colit corpus, cutis eſt fidisſima nutrix,
Pulveris abſtergens qvicqvid adhæſit eis.
Hæc lavat, hæc tergit, hæc omnibus una miniſtrat,
Ultima membrorum, prima labore ſuo.

Si benè penſetur, quid honoris & utilitatis
Contulerint Dominæ ſingula membra ſuæ?
Sola ſuo capiti membris ſed & omnibus una
Plus valet, eſt & eis officioſa magis.
Omnibus, una cavens fragilis diſcrimina ſexus,
Publica ne pateant cauda pudenda tegit.
Hæc mea cauda mihi vario pro tempore confert,
Quæ tamen eſt certo tempore grata magis.
Tempora nam timeo, quæ ſunt mihi jure timenda,
Nec timet incaſſum, qui mala nota timet.
Cumque quid & paſſa ſim, vel paſſura, recordor,
Hæc ego ſum ſemper dicere viſa mihi:
Ecce dies veniunt Veris, muſcæque reſurgunt,
Quas caſtigat adhuc cana pruina gelu.
Cum calor Æſtatis nimio calore per agros
Sperſerit omne pecus, terrueritque greges:
Muſca, gravis peſtis, quâ nulla nocivior unquam
Extitit in mundo, vel magis atra lues.
Dente gravi miſeras totum ſperſura per orbem
Percutiet pecudes, nec ſinet ire pedes.
Namque levi ſaltu tanqvam per inane volantes
Morſibus & ſtimulis exagitabit eas.
Illa dies caudam cunctis docet eſſe ſalubrem,
Et ſuus æſtatem prævenit augur, hiems.
Fortè dies aderit, in qvâ, nî fallor, egebit
Vacca ſuâ caudâ, qvam modò ſprevit ita.
Illa dies caudæ faciet meminiſſe juvencas,
Et ſteriles vaccas, emeritasque boves.
Illa dies caudæ faciet meminiſſe Bicornis,
Quâ malles caudâ non habuiſſe caput.
Illa dies caudas mundo faciet precioſas,
Quæ plus ſunt viles, qvàm vetus olla modò.
Illa dies dura, multumque timenda per orbem,
Tanquam Judicii plena timoris erit.

Illa

Digitized by Google

Illa dies caudas noſtras numerabit. & illa
Diſcernet pariter, quæ bona, quæve mala.
Illa dies caudas noſtras diſcernet utraſque,
Quæ bene mundata, quæve lutoſa nimis.
Hæc eſt illa dies, in quâ, ſi fortè juvenca
Poſſet habere duas, mallet habere decem.
Hæc eſt illa dies, veniet quâ durus Oeſter;
Tortor vaccarum maximus, atque boum.
Hæc eſt illa dies, quæ muſcas, dente caninas,
Morſibus & ſtimulis mittit in omne pecus.
Hæc eſt illa dies, quam prætimuiſſe futuram
Expedit armento, ne patiatur in hâc.
O mihi quàm felix! miſeræ, quæ poſſet ab illâ
Evaſiſſe die, qvam timet omne pecus.
Hanc etiam plus morte meâ formido futuram,
Quâ niſi tunc munda, non ero tuta ſatis.
Namque graves muſcæ nimiùm, fervorque diei
Multus erit, nec ibi quis latuiſſe poteſt.
Nec pecori tantùm fervor, muſcæque nocebunt,
Sed dominis pecorum, paſtoribusque gregum.
Hæc eſt illa dies, quâ non aliena juvabit
Cauda, nec alterius quid nocuiſſe poteſt.
Sed ne paſtor ibi pecoris, taurusve juvencæ,
Párve pari poterit ferre ſalutis opem.
Hæc eſt illa dies, de qvâ niſi vera fatemur,
Pendet ab illius noſtra ſalute ſalus.
Ergò licet tenear caudâ, graviterque coarcter,
Non tamen affrangar ipſa dolore meo.
Malo per has ſeptem, vel quinque, dies cruciari,
Forſitan interea triſtis abibit Hiems.
Quàm prælonga nimis me fervida torreat æſtas,
Dilàceretque meam muſca canina cutem.
Talia dum memorat, modico recreata ſopore,
Flante brevi Zephyro, tempora verſa videt.

Sol calet, & ſuperas clarus dux exit in auras,
Diffuſis radiis temperat omne gelu.
Solvitur unda fluens, humus exhilarata tepeſcit,
Aufugit & ſubitò cana pruina ſolo.
Et ſtatus & facies ſilvis redduntur & arvis,
Cuncta relaxantur, carcere clauſa priùs.
Nec mora, conſurgens caudam Brunetta retraxit,
Accelerans que domum carpere cœpit iter.
Quam procul ut vidit ſanam remeare Bicornis,
Ingemuit, tonſo pectore, triſtis ait.

De Lamentatione Bicornis.

Heu mihi! quid feci? quis me furor egit iniquus?
Quàm nimis accelerans in mea damna fui?
O quàm perdurós habet impatientia fines!
Quamque ſolet præceps exitus eſſe gravis!
Væ mihi! væ miſeræ! væ nunquam non miſerandæ!
Væ, cui nîl niſi væ tempus in omne manet!
Væ mihi! nunc quid ego? cunctis animantibus una
Sum data ludibrio tempus in omne meum.
Cur mihi cum caudâ non eſt mea vita recîſa?
Ut caput & cauda continuata forent.
Cur non terra priùs, cur non abſorbuit unda
Fluminis? aut miſſis ignibus uſta fui?
Quæque nimis præceps, cur non mea fata ſecuta,
Montibus ê ſummis præcipitata rui?
Heu mihi! cur laquei circum mea guttura miſſi
Vitam cum vitio non rapuêre meo?
Cur non mors ſubita vitam, vel ſonticus illam
Morbus ademiſſet, qui vagus eſſe ſolet?
Quid queror? una mihi ſupereſt medicina doloris,
Mors cita, quæ ſola ſolvere cuncta ſolet.
Nec mora, quin ſolvat, jam formidabilis æſtas
Imminet, exit Hiems, vere vigente novo. Vi-

Digitized by Google

Vivet in Exemplum populis, moritura Bicornis,
Inſtruet & ſtultos ſimplicitate ſuâ.
Diſcant præcipites, & quos mora nulla retardat,
Ne nimis accelerent in ſua damna manus.
Non reputet modicum modico contēta voluptas,
Res te poſt factum, quod fuit ante, docet.
Nec, modicū quicquam reputet ſi tempore quovis
Fortuito caſu perdere poſſet idem.
Cauda nocet capiti proprio, prohibetque timeri
Cornua, dum metuunt poſteriora ſequi.
Quid queror incaſſum? mando tamen iſta moder-
Qui poſt me venient, hæc duo verba legant: (nis,
Dū ſupereſt nihil eſt, nihiloq; minus quod habem⁹
Cedat, & eſt magnum, quod fuit ante nihil.
Nil mea cauda fuit, mihi cum conjuncta maneret,
Maxima ſed, poſtquam deſiit eſſe, fuit.
Perdere cum timeas magnum, reputare memento,
Quicquid habes, modicum ſit licet illud idem.
Deſierat tandem, mentis ſtimulata Bicornis
Anxietate gravi, talia verba loqui.
Venerat interea tempus, quo fertilis æſtas
Prata ſolet primo pingere flore novo.
Induerat jam fronde nemus, jam gramine terram
Texerat, intextis floribus arte pari.
Exierant volucres hiemis de carcere fracto,
Solvere finitimis digna tributa locis.
Verba negata ſibi redimens philomela ſonora
Vocibus inſiſtit, perſonat omne nemus.
Quos natura vocat, cum turture venit hirundo,
Adventusque ſui tempora certa tenent.
Nuncius auroræ merulam comitatur alauda,
Nec ſua permutant tempora lege novâ.
Semper idem repetens, veteri nova tēpora voce
Oſtendit cuculus, nil novitatis habens.

 Con-

Concentu parili vocum diſcordia diſcors
Intonat,& ſilvis organa mille ſonant.
Certat odor florum, cantus ſuperare volucrum,
Organa vox ſuperat,balſama vincit odor.
Dulce ſonant ſilvæ,redolent thimiata campi,
Floribus & fructu gignit annona ſolum.
Æſtuat æſtivo tellus fervore coacta.
Solvitur in cineres,qvod fuit antè lutum.
Terra parit pulices, pariuntque cadavera vermes,
Aera conturbat improba muſca volans.
Ardor agit pecudes,pariter conturbat öeſter,
Advolat & muſca ſordida,dente procax.
Per Juga,per colles,per devia quæque locorum,
Diruptis ſtabulis ſolvitur omne pecus.
Inſidet armento,ſtimulo perdurus,Oeſter,
Aſſunt & veſpes,immoderata lues.
Saltibus & ſilvis currunt,ſine lege vagantes
Cum grege paſtores, præcipitando gradum.
Uritur omne pecus, ſudant animalia paſſim,
Spargitur armentum, diffugiuntque greges.
Brunettam ſequitur pariter fugiendo Bicornis,
Quæque tuta minùs,fortiùs urget iter.
Cui ſua cauda manet,muſcis Brunetta reſiſtit
Fortiter,impendens pro vice ſæpe vicem.
Ventilat hic veſpes,aliàs diſpergit Oeſtres,
Diſſipat & muſcas,ſeque tuetur ab his.
Hæc abit,illa volat, fugit hic,comitantur & illi,
Hi ſtimulant,mordent,urget & illa pedes.
Aggreditur tandem miſeram, nudamque Bicornē
Turbine multiplici turba proterva nimis.
Quid faceret miſera? quò ſe lugubris,& omnis
Verteret,in tantis nuda relicta malis?
Quod potuit,fecit,licuit dum currere,curſu
Certavit crebro, præcipitique pede.

Præ-

Prævenit ala pedem, vincitq; volans gradientem,
Plus pede currentis penna volantis habet.
Arma gerunt pacem, qui pugnaturus inermis
Advenit, ex facili ſuccubuiſſe poteſt.
Conveniunt muſcæ, veſpes glomerantur in unum,
Torvus oeſter adeſt, cuſpide, dente, nocens.
Præcipiti curſu terras dilapſa per omnes,
Donec deficeret, inſtitit ipſa pedes.
Nec minus egit eam caudæ pudor ille retrorſum,
Quàm ſtimuli, quibus eſt obſita tota ſimul.
Ergò reſupina tandem ſub colle jugoſo,
Corruit in terram præcipitata tamen.
Cumque foret morti jam jam vicina, reſumptis
Viribus, ad modicum extulit illa caput.
Aſpiciensque propè comites, de morte gementes,
Brunettamque ſuam, talia dixit eis.

De Planctu Bicornis.

Quàm gravis iſta dies, quàm ſit metuẽda modeſtis
Caſibus, & veſtris, carpere quiſque poteſt.
Nec mihi mors gravis eſt, quoniam ſi vita ſuperſtes
Eſſet, adhuc gravior hæc mihi morte foret.
Dulce mori miſeris, mors eſt mihi mite levamen,
Morte nihil miſeris mitius eſſe poteſt.
Non eſt mors oneri, ſed plus conducit honori,
Cum mors eſt talis, quod venit ipſa malis.
Mors invita dabit requiem, quam vita negavit,
Nil mihi morte perit, ſed relevamen erit.
Exemplum multis vixi, morior que futurum
Omnibus exemplum, non habitura modum.
Diſcite, quàm propè ſit, & quàm vicina ruinæ
Gloria mundana, quæ ratione caret.
Impetus evertit, quicquid fortuna miniſtrat
Proſpera, nil ſtabile, cui dedit illa ſtatum.

Diſci-

Diſcite, quàm nihil eſt, quicquid peritura voluptas
Poſſidet, & falsè prædicat eſſe ſuum.
Nil proprium natura dedit, communia quæque
Inſtituit fieri, quò meliora forent.
Diſcite, quæ noſtræ fuerint diſcrimina caudæ,
Quodque necis cauſam contulit illa mihi.
Plura loqui voluit, ſed, linguâ deficiente,
Vix tandem potuit dicere: Bruna Vale!
Paſtores igitur, ne fama periret in ævum,
Signarunt tali grammate buſta loqui:
Quæ dum ſtulta fuit, doctos docuiſſe probatur,
Hæc poſtquam ſopiit, vermibus eſca datur.

HÆc, Brunelle, tibi modò, quæ nos vidimus (ipſi,
Diximus, exemplis ut docearis ab his.
Sufficiat, quod habes: quoniam, ſi vera fatemur,
Stulta petis, ſalvo ſemper honore tuo.
Nec tamen id fieri quovis medicamine poſſe,
Credideris: nihil eſt tutius ire domum.
Si, quot habent medici ſpacioſa climata mundi,
Hæc tibi juraſſent, nil niſi verba forent.
Non tamen id dico, quin poſſet creſcere multùm
Hæc tua cauda tibi, ſed nova nulla dari.
Fracta vel eliſa medicorum cura reformat,
Funditus abſcîsa ſic remanere ſolent.
Mortua cum vivis nullâ ratione cohærent,
Cæſa vel abſcîſa cura juvare poteſt.
Unde ſatis longa poterit tua creſcere cauda,
Dummodò cum reliquâ fœdera carne tenet.
En tamen in curis & ſumptibus enumerandis,
Ut decet, & debet, copia longa ſubeſt.
Ardua prægnantem poſcunt medicamina burſã,
Res et opes magnas vulnera magna volunt.
Nonne tibi ſatis eſt, unam ſi creverit ulnam,
Largior ex tanto, quàm fuit antè, tibi.

Digitized by Google

Talibus auditis, modicùm ſubriſit aſellus,
Sic tamen, audirent quod fora tota ſonum.
Cui Galienus ait; Feſtinans perge Salernum,
Inde relaturus, curæ quod iſta petit.
Perge, rediq́ue celer, noli tardare pedeſter,
Quattuor his quintum, ſi potes, adde pedem.
Sumptibus ergò tibi niſi tu defeceris ipſe,
Non tibi deficient cura laborq́ue meus.
Sumptibus inſiſtas, nos artibus experiemur,
Si valeant, noſtræ quod valuêre manus.
Accelerans igitur, uſus duplomate, longum
Abbreviabis iter, nam via longa nimis.
Pluribus es notus, necnon dilectus amicis,
Qui tibi ſubvenient, pluraq́ue dona dabunt.
Forſitan ex facili poterunt ſpecies reperiri,
Nec tamen ex facili credimus illa legi.
Vaſa ſed & tecum portabis idonea multa,
In quibus & referes hic habitura locum.
Cura laborq́ue ſimul ſolet exactiſsimus eſſe,
Ne malè depereant cuncta locata benè.
Cuncta locata benè, vaſisq́ue recondita dignis,
Tractari poterunt mitiùs, atque geri.
Mentis hebes quamvis non ſis, in pelle notabis,
Scribere nam noſti, quâ ſpecie ſit opus.

RECEPTUM, QUOD DEDIT GALIENUS
Brunello ad caudam prolongandam.

HÆc ſunt, quæ referes variis ſignata ſigillis,
Ne pereant, obicit cura laborq́ue tuus.
Marmoris arvinam, furni ſeptemplicis umbram,
Quod peperit mulo mula ſubacta ſuo.
Anſeris & milui modicum de lacte recenti,
De Interis curſu, deq́ue timore lupi.

De Canis & leporis ſeptenni fœdere drachmam,
Oſcula, quæ niſo miſit alauda ſuo.
Pavonis propriam libram de voce ſonorâ,
Antè tamen cauda quàm ſit adepta ſibi.
De non contextâ jubam ſine ſtamine mappâ,
Nam riſus aſini tu dabis ipſe tibi.
Halecis, vel Apum croceo de ſpermate libram,
De Gyroli jecore, ſanguine, ſive pede.
Natalis Domini modicum de nocte ſalubri,
Quæ nimis eſt longa, jure valebit ad hoc.
In reditu de monte Jovis, de vertice ſummo
Accipias libras quattuor, aſſe minus.
Alpibus in mediis ſancti de nocte Iohannis,
De nive, quæ cecidit tu ſimul inde feras.
Serpentiſque rubræ, nec non de cauda colubri,
Utilis eſt valdè, nec tamen illud eme.
Hæc benè collecta, pariterque receptia, quæque,
Impones humeris ſarcinuliſque tuis.

Responsio Brunelli.

Talia dicenti ſupplex reſpondit aſellus,
Poplite deflexo, vertice pronus humi.
Cuncta libens faciam, celer ibo, *que revertar,
Nam mea res agitur, non aliena, mihi.
Non ero tardus ad hoc, quamvis piger eſſe ſolebā,
Si dederit Dominus proſpera cuncta mihi.

Petit Brunellus a Galieno Benedictionem.

En! ego progredior, benedic mihi progrediēti.
Ut mihi ſit tuta, proſpera, vita, via!
Mox idioma ſuum vertens Galienus, & orans,
Subridens parùm, ſic benedixit ei.

Bene-

BENEDICTIO IRRISIVA GALIENI, data Brunello.

OMnipotens omina tibi mille det, & tua cauda
Obtineat pro ſe millia dena ſibi!
Sit tibi potus aqua! ſit magnus carduus eſca!
Marmora ſtramenta, tegmina ros & aqua!
Grando, nives, pluviæ, tecum comitentur ubique,
Protegat & noctu cana pruina gelu!
Sæpiùs exoſus veniat poſt terga moloſſus!
Oſcula dando tamen dixit aſellus Amen.
Ingeminantis Amen, vox eſt audita per urbem,
Murmureumque ſonum percipit omne forum.

QUALITER BRUNELLUS PROFECTUS eſt verſus Salernum pro ſpeciebus.

FEſtinans igitur, veniens in limine portæ
Hæſit, & eliſo corruit ipſe pede.
Signa revertendi ſunt hæc? dixêre propinqui,
Riſerunt alii, dixit & ipſe ſibi:
Debile principium, melior fortuna ſequetur,
Reſtat iter longum, non remanebit ita.
Dura ſatis didici, poſtquam ſum fuſus ab alvo,
Unde ſatis poſſum plurima dura pati.
Non eſt deliciis aſſueta, vel ebrietati
Hæc mea perſona, quæ mala ferre ſolet.
Carduus & lappa conſtant mihi carior eſca,
Sufficit ad potum nam pluvialis aqua.
In ſalsamentis non eſt meditatio mentis,
In tenui victu corpora noſtra vigent.
Sum tardus & piger, ſed certè tardior eſſem,
Si mea nonnunquam lauta diæta foret.
Sed neque, qui debet ſumpt⁹ impendere multos,
Expedit, ut crebrò vina Falerna bibat. Quid

Quid mihi de vino, quò deſipiunt ſapientes,
Multaque contingunt quo mediante mala.
Hoc humeris, non ventre ſuo geſtare, parentes
Conſuevêre mei: ſit procul ergò merum.
Ergò geſtabo, ſed non guſtabo Lyéum,
Arripiat ne me cottidiana febris.
Contra naturam vinum ſi fortè bibiſſem,
Mox mihi quartanam gigneret, aut ſcabiem.
„ Quattuor ex cauſis teneor vitare Lyéum,
„ Sumptibus ut propriis parcam, ne febre laborē,
„ Et ne deſipiam, degeneremque ſimul.
Qui vitare malum poterit, neç vult, manifeſtum,
Plangendus minùs eſt, ſi malè cedat ei.

Qualiter Brunellus venit Salernum orans.

Poſtquam biſſenas confecerat ergò diætas,
Ad quæ tendebat, mœnia ſumma videt.
Mox, genu flexo, ſurſum ſua brachia tendens,
Vota Deo ſupplex ſolvit, & orat ita:
Omnipotens Deus meritis ſancti Juliani
Det nobis veniam, hoſpitiumque bonum!
Sit procul omne malum, pontes, portæq; gemellæ
Partibus in noſtris, quæ ſatis eſſe ſolent!
Ruſticus, aut ſaccus non inveniatur in Urbe,
Abſque molendino ſit locus iſte, precor!
Sint hebetes ſtimuli, ſurdi mutique moloſſi,
Sitque procul catuli vox inimica mihi!
Hoſpes ruricola mihi ſit, cui ſemper abundat
Carduus hirſutus, & pluvialis aqua.
Sint ſpecies viles, ſit & emptor rarus in urbe,
Quilibet exiſtat venditor, æris egens!

Sint merces multæ, ſit multùm cara moneta,
Sit tempus pluvidum, ſitq; lutoſa via!
Proſpera ſint cuncta, ſint cuncta ſalubria nobis,
Ut noſtrum citiùs expediatur iter.
Talia commemorans, poſtquam pervenit in Urbem,
Se dedit hoſpitio, membraq; feſſa toro.
Surgens manè, forum ſpecies empturus adivit,
Quas non inveniens, triſtis abire parat.
Quattuor ergò dies circumluſtravit in Urbe,
Nec tamen invenit, quæ cupiebat ibi.

QUALITER BRUNELLUS DECEPTUS eſt à Mercatore.

TAlia quærentem mercator Londonienſis
Vidit, & advertens, quis fuit, inquit ei:
Nuncius es magnus, quisquis te miſerit iſtuc,
Maxima namque petis, & precioſa nimis.
Et ſapiens, & dives erat, quicunque miniſtrum
Huc ita te miſit; res manifeſta docet.
Nam facies vultusque tuus ſatis indicat, unde
Veneris? aut quis ſis? nec latuisſe poteſt.
Magnus es, & quamvis peregrini tectus amictu,
In propriâ patriâ non peregrinus eris.
O quàm ſollicita pro te Domus eſt tua tota!
Proque tuo reditu vota precesque facit.

RESPONSIO MERCATORIS, BRUNELLO DATA.

ANglia me genuit, Londonis Civibus ortus
Præſulis huc veni nuncius ipſe mei.
Cui quia, plus æquo, naſum natura retraxit,
Inſtitit, arte malum posſe levare ſuum.
Quattuor ergò viros partes tranſmiſit ad iſtas
Præſul, ob hanc cauſam conditione gravem.

Annus, & annus abit, ex quo pervenimus iſtuc,
Tresq; viæ comites mors tulit una meos.
Hic teneo ſpecies, quas ſi fortuna dediſſet,
Poſſe referre domum, maxima cura foret.
Quicquid in hâc urbe veniſti quærere, totum
Signatum teneo, depoſitumque domi.
Sumptibus aſſumptis, alieni debitor æris
Arctor, & in patriam non licet ire meam.
Uror amore tamen patriæ, tantoque reverti
Anxius exopto, quò magis ire vetor.
Littera certa mihi patris de funere venit,
Fama ſed & Dominum fingit obîſſe meum.
Vitrea vaſa decem mihi ſunt, & cuncta repleta
His, aliisq; ſimul, quæ tua charta notat.
Si precium dederis, quo res mihi conſtitit ipſa,
Cras potes in patriam dives abire tuam.
Ulterius precium peregrinus de peregrino
Abſit, ut accipiam, rem tibi dando meam.
Hoc tamen excepto, quia te puto Religioſum,
Ut liceat precibus participare tuis.

Hic fit contractus inter Brunellum & Mercatorem.

Illicò Brunellus precium numerabat, & illa
Nugis vaſa decem plena recepit ibi.
Quoq; magis fieret ſtabilis contractus, utrumque
Nomen venditoris poſcit, & ille refert.
Londonis natus Gryllâ de matre, parentis
Nomine Truſator nuncupor ipſe mei.
Gula mihi ſoror eſt, multis notiſſima regnis,
Eſt & Truſa mihi fœdera juncta toro.
Nec minùs ipſe tuum nomen mihi dicere dignum
Duxeris, ut memori mente tenere queam.

Ina-

Inanis jactantia Brunelli de ſuâ nobilitate.

Nomen Brunellus mihi ſtat, reſpondit aſellus,
Notus ubique ſatis nomine, reque ſimul.
Principibus regni, nec non & Regibus ipſis
Servio, ſervili conditione carens.
Et pater & proavus Regum, de more, miniſtri
Semper erant, & erunt tempus in omne meum.
Regis in obſequium ſucceſſi Jure paterno,
Indiget officio curia tota meo.
Obvius ipſe mihi ſi Rex quandoque feratur,
Cedit, & incedo Rege ferente, locum.
Eſt tamen una mihi multùm contraria peſtis,
Ruſticus immitis, exitiale malum.
Semper enim ſtimulos gerit, aut nodoſa flagella,
Aut graditur canibus cinctus utrumque latus.
Huic pater exoſus meus extitit, atque parentes,
Deque meo genere quicquid in orbe fuit.
Principis & procerum mores ſatis approbo, quorũ
Riſus, verba, Jocus, dulcis, amica, decent.
Rex mihi dicit: Ave! per eum dum tranſeo. Væ! Væ.
Fructifer ingeminat ruſticus, orbis onus.
Impetat hunc ſcabies! hunc cottidiana perurant
Ulcera, quæ ſcateant vermibus atque lue!
Hunc ego commendo Sathanæ, de ſtercore cujus
Dicitur eſſe ſatus, quod probat ipſe ſatis.
Hunc ego ſi poſſem totum delere per orbem,
Nullus ei fieret, urbe vel orbe locus.

Qualiter Brunellus rediit.

His ergò dictis, patrias Brunellus ad oras
Lætus, & exultans mane redire parat.
Craſtina lux aderat, Brunellus onuſtus ab urbe
Exit, & exſolvit vota preceſque Deo.

Caſibus in lætis quàm ſit vicina ruina,
Et lapſus facilis, nemo videre poteſt.
Jam propè Lugdunum veniens, callemque ſecutus,
Per ſata tranſibat, nil meditando mali.
Cum procul aſpiciens quidam de fratribus albis,
Quorum vicinam contigit eſſe Caſam;
Quattuor immenſos mordaci dente moloſſos
Immittens in eum, talia dixit ei:
Per ſata noſtra, tibi via non directa videtur,
Nam nimis arcta fuit: Publica ſtrata tibi.
Forſitan erraſti, ſed nunquid quattuor iſti
Non poterunt rectam te docuiſſe viam?
Per crepidas noſtras, melior tibi, torta platea,
Calle foret, reputo non niſi ſtultus ego.
Per ſata noſtra via quàm ſit directa, docebo,
Hi niſi deficiant quattuor ecce mihi.
Dixit, & inſtigans clamoſâ voce moloſſos,
Undique correptum fecit inire fugam.
Serius hic: illi citiùs currendo retentum
Morſibus attrectant, præcipitantque ſolo.
Ante tamen morſu nimiùm Grimbaldus iniquo
Arripiens caudam, dimidiavit eam.
Funditùs oblitus, quidnam portaret, & illud,
Quod ſua præcipuè vitrea vaſa forent.
Ex quo corripuit canis hunc, caudamque momordit,
Seq; ſimulq; ſuum præcipitavit onus.

Infortunium Brunelli.

Omnia vaſa ſimul caſu periére ſub uno;
Rem fragilem potuit frangere cauſa levis,
Parta labore gravi, leviter cecidére, dolorem
Perpetuum Domino parturiendo ſuo.
Illa remanſerunt tantùm, quod nulla fuerunt:
Nil niſi vaſorum fragmina ſola manent.

In tenues auras ſubſtantia tota receſſit,
Deperiére ſimul ſpesque laborque ſuus.
Hinc queritur caudam Grimbaldo dimidiatam,
Hinc dolor, expenſas deperiiſſe ſuas.
Auget utrumque malum, miſero ſatis eſſet in uno;
Anxius ille gemit, quem duo damna gravant.
An labor? an ſumptus? an cauda recîſa? dolore
Debeat eſſe magis, dinumerare nequit.
Nam labor eſt caſſus, ſumptus periêre, recîſam
Nemo poteſt caudam reſtituiſſe ſibi.
Anxietas animi creſcit, ſimulata dolore,
Alternatque vices hinc dolor, inde pudor.
Plus tamen affligit pudor, hunc comitante dolore,
Quàm faceret ſolus abſque pudore dolor.
Totus in ore canum miſer & miſerabilis ille
Volvitur, & ſoli vix ſibi vita manet.
Nec priùs â miſero ſe continuére moloſſi,
Donec Fromundus vix cohiberet eos.
Frater Fromundus, fratrum de more ſuorum,
Non ferus, immò fera diſſimulando diu;
Ut ſolet illius gentis genus illud iniquum,
Vix etiam tandem tendere cœpit eò.
Non tamen accelerans, nî cum pulſatur ad ollam,
Ut ſolet ad menſam, ventre docente viam:
Sed pede ſpondaico, greſſu gradiens aſinino,
Ut ſolet ad laudes nocte venire, venit.
Extendensque manum, dicto Benedicite, ha! ha!
Dixit, & admonuit, corripuitque canes.

RESPONSIO BRUNELLI AD FROMUNDUM.

Cui Brunellus ait: Nunquam tu ſis benedictus,
Sed maledicaris tempus in omne tuum!
Num Benedictus ita docuit vos, in peregrinos
Inſtigare canes? Non Benedictus ita.

Digitized by Google

Hic eſt ordo novus: hæc nova regula frater
Obſervanda tibi, tradita jure novo.
Nunquid Ciſtercî canon fuit ipſe repertus?
Venit & hinc ad nos ordinis iſte rigor?
Nunquid in hoc anno, qui convenére ſub uno,
Iſtud præceptum conſtituére Patres?
Summi Pontificis canibus vexare miniſtrum?
Neſcio, ſi vobis regula veſtra jubet.
Neſcio, ſi vobis liceat, morti dare quenquam
Præcipuè cauſâ non præeunte necis.
Pontificis ſummi medicamina maxima portans
Huc ego perveni, nil meditando mali.
Per ſata tranſivi fateor peregrinus, & hoſpes,
Quò tamen erravi, callis apertus erat.
Semita magna fuit; quam rebar & eſſe plateam,
Tum quia lata nimis, tum quia trita ſatis.
Error ineſt facto non præmeditata voluntas,
Si qua fuit culpa, non niſi parva fuit.
Culpa levis non eſt tanto plectenda rigore,
Mitior in minimis debuit eſſe modus.
Quamvis culpa foret, etiam digniſſima plecti,
Hoc plectenda modo non fuit ipſa tamen.
Criminis ad pondus deberet pœna rependi,
Major pœna ſuo crimine, crimen habet.
Summi Pontificis ego Nuncius, atque Miniſter,
Pacificus veni, devia fortè ſequens.
Pontificis ſummi timor & reverentia, Veſtrum
Debuit in aliquâ parte levare malum;
Quod tamen auxerunt; Non eſt in partibus iſtis,
Qui timeat Dominum Pontificemve ſuum.
Non mihi, ſed Domino gravis eſt injuria facta,
Noſter Papa ſuum vindicet ipſe decus.
In Dominum Papam transgreſſio facta redundat,
Læditur & tantò curia tota malo.

Hor-

Horrendum facinus, tam deteſtabile factum,
Tam gravis exceſſus nunquid inultus erit?
In Domini Papæ contemtu tam manifeſto
Roma niſi fuerit uſa rigore ſuo;
Ut breve ſit dedecus, longum decus eſt & amicis,
Hoſtibus eveniant dedecus atque decus.
Non erit ulteriùs quævis metuenda poteſtas,
Sed quod cuique libet, jure licebit ei.
In Dominum noſtrum Papam dedecusq; redundat,
Cœtera ſuſtineo vulnera ſolus ego.
Damnũ mercarum plus quàm duo millia conſtat,
Sumptibus exceptis, absque labore viæ.
Quanti ſit dedecus hoc, neſcio, noverit ille,
Ad quem ſpectat honor, ſpectat & iſtud onus.
Eſt dedecus magnum, ſed ſummus Præſul utrumq;
Puniet, ad libitum criminis ultor erit.
Curia Romana, quæ dignis digna rependit,
Pro meritis dignis præmia digna dabit.
Cauſa gravis, gravior perſona, graviſſima damna
Eſſe patet, magnum ſingula pondus habent.
In Dominum Papam ſpecialiter iſta redundant,
Læſus & eſt graviter: Vulnus utrumq; patet.
Quod gravius dicet, citiùs leviusq; remittet,
Quod levius, pœnâ ſub graviore cadet.
Læſus honor lacrimis poterit precibusq; piari,
Ne nimis ulciſci ſe videatur in hoc.
Damna ſed illius nullâ ratione remittet,
Mitis erit, redimi ſed patietur ea.
Dummodò ſolvendo fuerit Ciſtercius ordo,
Nil ſibi de toto deperiiſſe poteſt.
Aut Decimas ſolvant, aut braccis lege perenni,
Quamvis inviti, poſteriora tegant.
Clauſtra nec exibunt, perdentque novalia paſſim,
Aut tria mercarum millia plena dabunt.

Digitized by Google

Sed quid erit de me? Quænam vindicta ſequetur?
Qualiter ulciſcar, ſic laceratus ego?
Papa quidem ſtatuet, ne quis de Fratribus extra
Septa ſui Clauſtri quolibet ire queat.
Quam ſi quis fuerit legem trànsgresſus, eorum
Hæc tria perpetuo jure ſequentur eum.
Nunquam vina bibet, niſi cruda legumina guſtet,
Sitque gravis culpa pœna perennis ei.
Hæc de jure poli faciet mihi Papa libenter:
Sed de jure fori quid genus omne malum?
Iſtud erit, quod ego faciam ſtatuisſe per orbem,
Si fuerit tanto tempore vita comes.
Iſtos converſos, quos perverſos magis esſe
Conſtat, ut ex factis nomina certa trahant.
Eccleſiæ portam quisquis conſpexerit extra,
Mox oculos dextros auferat, atque pedes.
Et niſi campana collo dependeat una,
Mentula tollatur, quodque cohæret ei.
Dentur eis braccæ, vinum tollatur in ævum,
Damneturque caro, piſcis, & ova ſimul.
Sufficiant cunctis duo cocta legumina tantùm,
Vel potiùs cruda, ſit niſi feſta dies.
Hæc ego cuncta meos faciam ſtabilire parentes,
Ne ſit in æternum res habitura modum.
Hæc etiam Papa ſic confirmabit in ævum.

Simulatio Fratris Fromundi.

Talibus auditis, timuit Fromundus, & ultrà
Quàm credi poterit, obſtupefactus, ait:
Si ſciat hæc Abbas, nec eum res tanta latebit,
Culleus, aut certè mors mihi certa manet.
Quis furor impegit, canibus vexare Miniſtrum
Pontificis Summi? non ita rebar ego.

Nunc

Digitized by Google

Nunc opus eſt facto, ſed ad hoc nimis accelerato
Nunc opus auxilio, conſilioque mihi.
Conſtat enim, quod ſi vivens diſceſſerit iſte,
Res nullâ poterit conditione tegi.
Blanditiis opus eſt multis inſiſtere, donec
Una dies veniat, quæ ſit ad iſtud opus.
Tollere de medio decet hunc, ne tota per ipſum
Gens pereat, noſtra depereantque loca.
Sed nimis aſtutè tantum ſcelus eſt faciendum,
Et procul à populo convenit iſtud agi.
Nam ſi fama loquax quicquam cognoverit inde,
Pejus erit multò, quàm fuit ante, malum.
Plus etiam fratres mihi ſunt, quàm fama, timori,
Nam furor illorum neſcit habere modum.
Fama poteſt, aliquo ſaltem moderamine, flecti,
Illos, cum furiunt, flectere nemo poteſt.
Fratribus atque foro par eſt comittere quicquam,
Perdere quod timeam, vel latuiſſe velim.
Una fori facies, fratrum ſunt mille, quid ergò ?
Quod cupis occultum reddere, nemo ſciat.
Menſtrua namque fides, faciem cum tempore mu-
Ne credas fidei, ſit mea fida mihi. (tat
Qui ſe multorum fidei committere curat,
Auguror hunc leviter poſſe carere fide.
Res erit arcana, quæ ſunt facienda ſeorſum,
Nemo ſciat, ſatis eſt, ſolus ut ipſe ſciam.
Quid moror ? accedã ſupplex, veniamq; precabor,
Reddere promittam perdita quæq; priùs.
Accipiam ſtultum ſocium, ſimulabo fidelem,
Committet ſeſe credulus ipſe mihi.
Dixit, & acceſſit ſupplex, veniâq; petitâ,
Plus, quàm perdiderat, reddere ſpondet ei.
Hoſpitiique morâ longos relevare labores
Obtulit, & molli membra fovere toro.

Digitized by Google

Spondet opes, medicos, generalia feſta, ſalubris?
Aeris acceſſum, quicquid & ipſe velit.
Nil deerit votis, ſimul & ſemel omne, quod optat,
Accidet, accedat ipſe, videre locum.
Nam propè Lugdunum Rhodani ſtát terminus un-
Eſt ſitus arboribus conſitus ille locus. (dis:
Eſt alter Paradiſus ibi, quia, quicquid habere
Mens humana cupit, terra beata parat.
Ipſe loci Dominus domui disponet, ut ejus
Sedeat arbitrio: nemo rebellis erit.
Serviet ad nutum famulus, venietque vocatus,
Quisque placebit ei, quisque ſequetur eum.
Ipſe modum dicet tibi, quo ſervire clientes
Hos vocat & illos: nemo reſiſtet ei.
Nec novus hospes eris, nec ut advena, cras reditu-
Sed quaſi perpetuus Civis in urbe ſuâ. (rus,
Poſtulat, adiurat, hortatur, & omnia ſpondet,
Vimque facit precibus, voce manuque trahens.

Dissimulatio Brunelli.

Annuit ille libens, tamen hâc ſub conditione;
Tollat ut è medio mors inopina canes.
Comperiensque dolos Fromundi, diſſimulare
Rem ſtudet, & riſum palliat ore levi.
Dixit & ille ſibi ſecum duo verba, nec illa
Sic tamen, audiret ut ſuus hospes ea.
En aliud minans, aliud meditatur aſellus,
Eventus varios disſona vota tenent.
Sæpè ſolet vitio virtus velociter eſſe,
Prævenit & morbum cura diſerta gravem.
Fraude cadunt fraudes, falluntur & artibus artes,
Obruiturque dolus præ veniente dolo.
Nec mora, Fromundus, correptis fuſte moloſſis,
Disponit, ſocium fallere fraude ſuâ.

Quo-

QUOMODO BRUNELLUS VINDICAT ſe de fraude Fromundi.

Cumq; ſuper Rhodani ripam graderetur aſellus,
Et propè Fromundus ſubſequeretur eum.
Cernens Brunellus, quantum foret aptus, iniquus
Saltibus & ſubitis mortibus ille locus.
Impulſu ſubito ſummâ de rupe rejectum
Fromundum Rhodani fecit ad ima vehi.
Interceptus aquis, mortem guſtavit in undis,
Luſus & eſt propriis artibus ipſe prior.

CANTICUM BRUNELLI POST præcipitationem Fromundi.

Tunc cecinit carmen reſonum Brunellus, & altis
Vocibus exultans, ora reſolvit ita.
Cantemus, ſocii! feſtum celebremus, aſelli!
Laude ſonent celebri tympana, ſiſtra, chori!
Grimbaldus periit, ſociique ſui periére:
Mors hoſtes rapuit quattuor una meos.
Fromundus cecidit, Rhodani ſubmerſus in undis,
Luſus & eſt ſubitò legibus ipſe ſuis.
Incidit in laqueos frater Fromundus iniquos,
Quos tamen ipſe ſibi texuit arte ſuâ.
Quem voluit ſapiens ſtultum delere ſcienter,
Stultus & ignorans præcipitavit eum.
Corruit in foveam præceps Fromundus in illam,
Quam manibus propriis foderat ipſe priùs.
Ne via longa foret, ſaltu Fromundus in uno
Complevit curſum, neſcius ipſe, ſuum.
Saltus erat ſubitus, rupes prærupta deorſum,
Fluminis unda rapax, alveus abſque vadis.
Quæ nunquam didicit, ſaltu docuiſſe probatur,
Non opus eſt alio, ſufficit unus ei.

Exul-

Digitized by Google

Exultet Rhodanus celebri de laude triumphi!
Fromundus cecidit, florida pſallat humus!

Sepúltura Fratris Fromundi.

MOrtuus eſt ergò poſtquam Fromũdus, & undis
Extractus, patrio ſunt data membra ſolo.
Cujus buſta videns, cum pertranſiret, aſellus,
Flevit & inciſo marmore, ſcripſit ita:
Fratribus exemplum frater Fromundus in ævum,
Hunc titulum vivo cepit ab Hoſte ſuo.

Epitaphium Fromundi.

QUem celer ac ſapiens ſtultum tardumq; putavit
Fallere, præveniens ipſe fefellit eum.
Sic tardus celerem, ſic ſic ſtultus ſapientem
In ſaltu celeri deſipuiſſe dedit,
Sic fraus fraude perit, ſic ars deluditur arte,
Sic dolus & fraudes præmia digna ferunt.
Saltus Fromundi fratres memorantur iniqui,
Profit ut â ſimili nota figura mali.

Brunellus cauda amiſſa de ſtatu ſuo futuro præcogitat.

HIs ergò geſtis, patrias Brunellus ad oras
Feſtinat celeri corpore, mente, pede,
Sed quia pauper erat, expensâ deficiente,
Mendicando ſuum ſæpè retardat iter.
Sæpè ſuos caſus ſecum memorando retractat,
Dixerat & dudum quid Galienus ei.
Quoque magis propriæ penſat diſcrimina ſortis,
Se magis excuſat, ſic ſibi ſæpè loquens.

Locutio Brunelli seipſum redarguendo de inertiâ & ſtultitiâ.

NOn ſum Brunellus ſapiens, ſed iners, & aſellus
Semper, & inprimis ſtultus, hebesque nimis.

Stul-

Stultus ego natus ſum, ſtultus & antè creatus,
Quamque diu fuero, non niſi ſtultus ero.
Stultus & ipſe pater meus, & ſtultisſima mater,
Dat natura mihi deſipuisſe mea.
Quod natura dedit, quod tractu temporis hæſit,
Hæret, & eſt remanens, nec removetur idem.
Vah! quid ego? quis ego? qualis? quantumq; po-
Si bene perpendam, neſcio, quis ſim ego? (ne"a
En ego conſumpſi pariter cum corpore ſumptus,
Cumque labore meo, tempus & ipſe meum.
Jamque ſatis ſenui, nec adhuc, niſi deſipuisſe
Me fateor, facta res facit ipſa fidem.
In Sene ſenſus hebes, multùm ſolet esſe pudori,
Ni ſenſus ſapiat, eſt pudor, esſe ſenem.
Vertitur in riſus juvenum, delira ſenectus,
Nec rediment damnum tempora lapſa ſuum.
Quantumcunq; ſenex ſapiat, tamen ecce juventus
Semper delirum ſomniat esſe ſenem.
Et ſi delirat quisquam, pariterque ſeneſcit,
Judicio Juvenum nîl, niſi ſtultus, erit.
Hoc habet annatum multis comitata ſenectus,
Quò plùs deſipiat, plus ſapuisſe putet.
Nosſe ſatis potui verbis, vultuque Magiſtri,
Quòd mea vota forent â ratione procul.
Ha! quoties voluit ea, quæ nocitura putabat,
Disſuadere mihi, ſi licuisſet ei.
Sed furor infelix, & mens mea, cœca futuri,
Sprevit, & irriſit utile quodque magis.
Et quid erit, propriam cum mane revertar ad urbē?
Nondum mutatâ conditione meâ.
Error poſterior pejor quandoque priore
Esſe ſolet: Vereor poſteriora mea.
Nonne revertentem Præſes populusque videbunt?
Nonne meos caſus curia tota ſciet?

Dice-

Dicеturque mihi: Qualis diſceſſit ab urbe,
Ecce reverſus adeſt, nil novitatis habens!
Iſta quidem dici poſſent, ſi, quæ modò non eſt,
Integra cauda foret, ut fuit ante, mihi
Ergò quid inſpecto tanto diſcrimine dicent?
Num poterunt riſus continuiſſe ſuos?
Riſus ero populis, riſus totius & Urbis,
Riſus erit magno cauda reciſâ foro.
Si non ante fuit populi Brunellus in ore,
Tunc erit, & digito quisque notabit eum.
Quosq; loqui prohibet Clauſtri cenſura tacentes,
Clamabunt digito, cauda reciſa fuit.
Sicq; loquax digitus redimenda ſilentia verbis,
Monſtrabit ſignis dedecus omne meum.
Si de tot vicibus poſſes, Brunelle, vel unam
Surripuiſſe tibi, quantus & ipſe fores!

Brunellus proponit studere, antequàm redeat ad parentes.

Est melius, quod non redeam mutilatus in Urbē,
Donec priſca tegam crimina ſorte novâ.
Corpus adhuc ſanum ſupereſt, patiensq; laborū,
Nondum centenus ſum, niſi fallar, ego.
Sum levis & fortis, nec adhuc virtute ſolutus,
Senſus hebes ſtudiis exacuendus erit.
Pervigiles ſtudii longâ de nocte labores
Et caput & corpus hoc benè ferre poteſt.
Plurimus annorum numerus de jure legendus
Reſtat, ut usque patri comparer ipſe meo.
Non mihi virga gravis, puerorum more, nocebit:
De puero didici multa flagella pati.
Pes vagus â ſtudii non me revocabit amore,
Qui magis accreſcit ex gravitate meâ.

Æta-

Digitized by Google

Ætatis gravitas mihi de levitate cavebit;
Conſvetudo frequens alleviabit onus.
Nec pudor annorum, quamvis puerilia diſcam,
Jam cogit ſenior deſeruiſſe ſcholas.
Non pudor impediet, vel deſperatio, cœptis
Quò minùs inſiſtam nocte dieque meis.
Utque nihil timeã, labor improbus omnia vincit,
Et Deus audaces ipſe juvare ſolet.
Pariſios veniam, ſtudioque vacando decenni,
Artibus inſiſtam; non remorabor iter.
Poſtea Coloniam, Domino ducente, revertar,
Legales apices conciliare mihi.
Pagina Divina, necnon Decreta, laborum
Finis erunt, fuerit ſi mihi vita comes.
Sitque meum nome[illegible] alio præeunte, Magiſter
Brunellus: Dic[illegible]omine reque ſimul.
Si quis Brunellum, non addens fortè Magiſtrum,
Dixerit; ille mihi publicus hoſtis erit.
Nominis ergò mei famã præeunte celebri,
Subſequar orator publicus, abſque pari.
Obvius adveniet, populo comitante, Senatus;
Plebs ruet, & dicet: Ecce! *Magiſter* adeſt!
Præſulis & Fratrum concors ſententia, noſtro
Se velit auxilio, conſilioque regi.
Illud erit ſtabile, quod nos ſtatuemus in urbe,
Verba ſed noſtra Legis ad inſtar erunt.
Quod minus in caudâ, quod & æquo majus in au-
Tunc fuerit, redimet nomen honore ſuo. (re
Majus erit lucrum noſtrum, quàm damna fuerunt,
Gloria finalis crimina noſtra teget.

Qua-

Digitized by Google

QUALITER BRUNELLUS VADENS
Pariſios invenit in viâ ſocium Gerhardum.

TAlia dum replicat, comes eſt ſociatus eunti,
Pariſios tendens, ſarcinulaſque ferens.
Cui Brunellus ait, dicto dedit oſcula, quærens:
Quis ſit? & unde natus? quò citus ire velit.
Ille refert: Siculus ego ſum, cupienſque doceri,
Pariſios propero: ſit via tuta, precor!
Cui Brunellus ait: Tria ſunt communia nobis,
Votum, cauſa, ſolum: ſit via quarta, peto.
Annuit Gerhardus, ſocioque ferenda petenti
Capſas, & libros tradidit ille ſuos.
Inde ſimul dextris, ſociali fœdere junctis,
Pariſios properant pectore, voce, pede.
Cumque ſimul pergunt, ſocio Brunellus eunti,
Quis ſit? & unde? refert, quæ ſibi cauſa viæ?
Quos tulerit caſus? quæ ſit diſcrimina paſſus?
Qualiter acciderint illa vel illa ſibi?
Qualiter â patriâ primò diſceſſit? & ad quid
Conſilium dederat quod Galienus ei?
Brunettæ caſus varios, caſumque Bicornis,
Actibus expoſitis tempus utrumque notans.
Qualiter accepit â Trufatore Salerni,
Londonis orto, vitrea vaſa decem.
Quâ ratione canes frater Fromundus in illum
Miſerit, & quantum perdidit ipſe miſer.
Inde canum mortem narrat, ſaltumq; ſequentem
Fratris Fromundi, judiciumque Dei.
Addidit & titulos buſtali marmore ſcriptos,
Nunc quoque Pariſios quâ ratione petat.
Talia dicenti, caſuſque ſuos memoranti,
Reddidit Gerhardus talia verba ſibi: Quàm

Digitized by Google

Quàm variis vicibus humanæ res variantur,
Non eſt res facilis dinumerare mihi.
Quàm minimâ causâ magnum diſcrimen oriri
Poſſit, ab effectu res manifeſta docet.

NARRATIO GERHARDI DE FILIO Presbyteri, & pullo Gallinæ.

CONtigit Apuliæ celebri res digna relatu,
Tempore Guilhelmi Principis hujus anni.
Presbyter Urbanus quidam, digresſus ab urbe
Longiùs, agreſtem cœpit habere caſam.
Cui, dum temporibus cunctis ſua rura colebat,
Multotiens ſegetum copia multa fuit.
Fecerat & natos propriâ de Conjuge, dici
Conjunx Presbyteri ſi licet absque notâ.
Quorum Gũdulphum quendã, quem vidimus ipſi,
Cum puer eſſet adhuc, contigit eſſe domi.
Cumq; foret frugum cuſtos patris, oſtia ſervans,
Conſuevit virgam ſæpè tenere manu.
Contigit ergò ſemel, pullis comitantibus ejus,
Coppa quod intraret cirrea, grana legens.
Cumque ſuam matrem pulli ſequerentur egentes,
Oſtia presſerunt improbitate ſuâ.
Quos puer elatâ virgâ, quam fortè tenebat,
Cædere præſumpſit, atque fugare foràs.
Qui quoniam turbatus erat, plus inſtitit æquo,
Transgresſus verbis, verberibusque modum.
Ira quid expediat, dum non diſcernit, iniquè
Plurima dispenſat, præcipitando gradum.
Sæpè levi tactu conſtat jactura perennis,
Atque levi puncto pignora cara cadunt.
Cumque puer virgam nimis exerceret in iram,
Contigit, ut pulli tibia fracta foret.

Digitized by Google

Tibia fracta diu pullo, pariterque parenti
    Triſtitiæ cauſa non mediocris erat.
Hinc dolor, hincq; pudor pullum ſtimulavit in irã,
    Ut cuperet puero reddere poſſe vicem.
Tempore creſcente caro conſolidata recrevit,
    Obduxitque cutis vulnera veſte novâ.
Oſſa diu fracta nimiùm doluére dolore,
    Vulneris inflicti corde tenente notam.
Vulneris exteriùs ſatis eſt obducta cicatrix:
    Cruda ſed interiùs vulnera, corda tenent.
Jam proſcripta diu, proprias remeavit ad oras
    Tibia, ſed facti mens memor, exul agit.
Pes graditur rectè, femur eſt ſine vulnere ſanum,
    Nil ſapit eliſum, tibia ſana coit.
Claudicat aſt animus, pectus ſine vulnere langvet,
    Cor queritur, mens eſt ulcere plena gravi.
Ultio ſuſpenſa, ſine quâ mens læſa quietis
    Nil habet, expectat pervigil ante fores.
Nulla quies mentis læſæ, nullùmque levamen,
    Nil niſi vindicta pectora læſa levet.
Non mergus ſtagnum, fugientem non lup⁹ agnum,
    Turba canum leporem, vel fera capta fugam;
Nec plùs piſcis aquã, nec avem plùs niſus alaudã,
    Quàm mens vindictam læſa videre cupit.
Sic quoque Gundolphi pullus cupiebat iniqui
    Sumere vindictam, ſi locus eſſet ei.
Creverat in gallum, ſextum jam pullus in annum,
    Fungens defuncti patris honore ſui.
Creverat in multum jamjam Gundolphus in altũ,
    Jamque ſuo patri ſubſtituendus erat.
Jam nihil obſtabat, jam nîl deêrat, niſi ſolus
    Ordo ſacerdotis, nuper habendus ei.
Præſul enim victus precibus, meritiſque beati
    Rufini vota cenſuit eſſe rata.

Con-

Conſtituitque diem, quo ſanctificatio tanta,
Debuit impendi more, locoque loci.
Sabbata, natalem Domini præeuntia feſtum,
Terminus eſt, punctus Urbs Carabella locus.
Gundolphū provehi cupiunt, gaudentq; parentes,
Jamque parant feſtis munera digna ſuis.
* *
Ut faciant, veniunt conveniuntque ſimul.
Aula patet cunctis, onerant cibaria menſas,
Indulgentque nimis potibus, atque cibis.
Bacchus adeſt feſto, pauldò diffuſus in alvo,
Exhilarans populum, ſanctificansque locum.
Nox aderat, cum manè citus Gundolphus in urbē
Profecturus erat, ſanctificandus ibi.
Ad galli cantus primos iter arripiendum
Eſſe volunt, aberat nam locus ille procul.
Mandatur famulis tempus, præſcribitur hora,
Quâ, profecturus manè, citandus erat.
Scilicet ut ſtudeant cantus audire priores,
Quos dederit gallus nuncius, ante diem.
Efficeretque ſatis, ſi tunc ſurrexerit ille,
Nam nox longa nimis, nec grave reſtat iter.
Gallus ut hæc verba vigili percepit in aure,
Gaudet, & exultat pectore, voce tacens.
Tanta quidem ſuper his fuit exultatio cordis,
Ora quod â laude vix cohibere poteſt.
Quodque præoptabat multùm differre tacendo,
Vocibus exploſis accelerare parat.
Quam dolor excludit, immittunt gaudia vocem,
Hæc ſua plectra monent, hæc reticere jubent.
Inter utrumque manens, neutri conſentit, utroq;
Vincitur, & vincit, voce tacente tamen.
Jam nox tota ferè fuerat conſumpta bibendo,
Cum, jam feſſa mero, dant ſua membra toro.

Tempora nocturna, ſtudio deluſa bibentum,
Nec benè diſtincta, præteriére citò.
Nec mora potantum potuit noctem remorari,
Quin non conſuetâ lege ligaret eos.
Affuit interea cantandi temporis hora,
Sed cantor vocem ſubripit atque ſonum.
Vox ſilet, & cantor, toti ſiluêre miniſtri,
Pocula, nox, ſomnus quos vigilare vetant.
Admiransque diu gallina ſilentia galli,
Et quod ab officio cederet ipſe ſuo.
Leviter accedens ſponſo, ſuggesſit in aurem,
Quod jam tranſiſſent tempus & hora ſimul.
Qui reſpondit ita: Noli vexare, quieſce:
Semper eris ſtulta? ſtulta recede, precor!
Væ cui ſtulta comes ſociali fœdere nupſit,
Non erit illius absque dolore torus.
Nec minus illa tamen, nimis importuna, marito
Inſtitit, ut noctis tempora certa notet.
Ille ſed econtrà tentans cohibere loquacem,
Porrigit inde preces, intonat inde minas.
Illa tamen jurat, niſi tanta ſilentia ſolvat
Ille, quod illa canet, concutietque domum.
Impatiensque moræ, raucas de gutture voces
Profert, quâque poteſt voce ſonare, ſonat.
Quâ tamen auditâ, quidam reſpondit eidem,
Deſine Coppa, precor, nam nihil eſt, quod agis.
Quamvis gallina nocturno tempore cantat,
Non ideò citiùs lux oriunda venit.
Nox ruit intereà, domus ebrietate profundâ
Tota ſepulta jacet, dormit & ipſe vigil.
Omnia ſomnus iners operit, Gundolphus & ipſe
Dormit, & in ſomnis ſomnia grata videt.
Ordine ſuſcepto jam ſe putat eſſe reverſum,
Indutusque ſacris jam celebrare parat.

Can-

Digitized by Google

Cantoriſque videt, niveo ſub tegmine, gallum
Obtinuiſſe vices, atque tenere chorum.
Introitus miſſæ, quem gallus voce ſonorâ,
Omnibus invitis, intulit, iſte fuit.
Omnia, quæ durè nobis feciſſe videris,
Judicio juſto facta fuiſſe, liquet.
Cumque calix magnus, vinoque repletus adeſſet,
Hauſit, & â fundo viſcera tota tulit.
Cumq; calix ſaperet, aſſumptus & ipſe fuiſſet,
Cœtera perfecit ordine cuncta ſuo.
Sed finem Miſſæ, cum Cantor debuit; Ite,
Dicere, conticuit, ſigna neç ulla dedit.
Talibus obſtupuit viſis Gundolphus, & altis
Vocibus exclamat: Eſt, ait, eſtne dies?
Cui reſpondentes famuli dixére, volenti
Surgere, ſuſtineas, tempus adeſſe tuum.
Nondum cantavit gallus, qui tempora, nobis
Invitis, gallus ſignificaret ea.
Novit enim meliùs, quàm nos, diſcrimina noctis,
Pars quota tranſierit, pars quota reſtat adhuc.
Nox eſt longa nimis, ſupereſt pars maxima nobis,
Verte latus, dormi, non breve tempus habes.
Nox hiemalis enim tribus eſt perlonga diebus,
Nec ab momento diſſilniſſe poteſt.
Nos vigiles erimus, gallo mediante fideli,
Qui, quamvis vellet ſubticuiſſe, nequit.
Gallus ad hæc tacitè gallinæ dixit in aurem:
Obſes ego vobis nec fidejuſſor ero.
Ut poterat, fiat, lex eſt, quam teſſera dictat:
Qui jacet, hic jaceat, qui bibit, ille bibat.
Dum loqueretur ita, clarum jam mane feneſtras
Intrat, & ad rimas lux manifeſta ruit.
Jam Phœbus radios toto diffuderat orbe,
Jamque bobus junctis vertit arator humum.

Digitized by Google

Gundolphus ſurgens, & palmis pectora tundens,
Eii ait, en mallem mortuus eſſe modò.
Et nimis accelerans, ſtrato femoralia linquens,
Protinùs ad ſtabulum ſternere currit equum,
Frenum cum ſellâ tranſactâ nocte bubulci
Tranſtulerant, ſolito nec fuit illa loco.
Inſilit inde tamen, frenum redimente capiſtro,
Nec cedit ad patrem, qui benedicat ei.
Fortiter eliſus curſu, dum trans volat urbem,
Corruit in terram, largus aberrat equus.
Inſtitit ergò pedes, ſed cum pervenit in urbem,
Ordinibus factis, ſerior hora fuit.
Lectio tota fuit perlecta, legensque: Tu autem:
Dixerat, & pueri vox reſonarat Amen.
Quid faceret Gundolphus ad hoc, medicina dolo-
Reſtabat nulla, quàm remeare domum. (ri
Ergo domum properè triſtis, multumq; pudore
Confuſus, rediit, flensque gemensq; ſatis.
Hinc pater, inde parens cum totâ prole parentum
Gundolphum plangunt pectore, voce, manu.
Confuſi redeunt, qui convenére, parentes,
In lacrimas etenim gaudia verſa vident.
Arguit hic vigiles, cauſatur & ille bibentes,
Impetit hic gallum, damnat & ille merum.
Talibus auditis, nido gallina relicto
Exiit, & gallo talia verba refert:
Gundolphus noſter rediit fruſtratus ab urbe,
Triſtis, & in lacrimas totus abire parat.
Et pater, & genitrix, frater, miſeræque ſorores
In lacrimas abeunt; talia luctus habet.
Quamvis Gundolphus laqueo ſuſpenſus abîſſet,
Non poſſent ejus funera flere magis.
Imponuntque tibi culpam diſcriminis hujus,
Sis quaſi totius cauſa caputque mali.

Talia

Talia dicenti gallus reſpondit: Iniquam
Non puto, ſed dignam pro vice dare vicem.
Pullus eram quondam, Gundolpho percutiente,
Tibia fracta fuit, ipſe recordor adhuc.
Materiam prior ipſe mihi, cauſamq; doloris
Intulit, indicio tibia fracta manet.
Ipſe prior riſit, dum vulnera noſtra dolerent,
Nunc ego deriſum rideo lege pari.
Sic variat fortuna vices, ſic gaudia luctus
Occupat, excelſa ſic cecidiſſe ſolent.
Exoptata diu dulcis medicina doloris,
Serò licet veniat, grata venire ſolet.
Nunquam ſerò venit morbi medicina cruenti,
Quolibet antidoto dummodò curet eum.
Quæ venit ex facili, nullo præeunte dolore,
Ultio delicti, dulcior illa venit.
Lætus ab hoſte meo victor ſum, cedo triumpho,
Ultus & eſt animus ore tacente meo.
Bella gerunt alii, ſint noſtra ſilentia nobis,
Voce, tubisque canant, nos tacuiſſe juvat.
Quò levius nobis ceſſit victoria belli,
Victoris tantò gloria major erit.
Non opus eſt armis, ubi vox ſuppreſſa triumphat,
Qui bene diſſimulat, & tacet, ille ſapit.
Hoſtibus ergò meis lacrimæ pro ſangvine ſtillent,
Vulneris obtineant ira doiorque vicem.
Vulnus enim cordis dolor eſt, graviusque perurit
Intima, quàm gladius exteriora ſecat.
Exterioris enim levis eſt medicina doloris,
Sed vix aut nunquam ſaucia corda vigent.
Seriùs admittit animus ſolatia læſus,
Quàm medicinales ſaucia membra manus.
Vix ea fatus erat gallus, cum morte ſoluti
Ceſſerunt pariter hinc pater, inde parens.

Digitized by Google

Mox, patre defuncto, patris eſt Gundolphus ab æde
Pulſus, & exterius tradita tota domus.
Gundolphusque miſer, pauper mendicus & omni
Auxilio vacuus, ceſſit ab urbe procul.
Manſit apud multos tamen hoc memorabile factũ,
Hocque Patres natis ſæpè referre ſolent.
Ut memores facti ſic ſe moderentur ubique,
Ne dein poſt factum pœnituiſſe queant.

QUALITER BRUNELLUS VENIT PARISIOS cum Gerhardo comite ſuo.

TAlia cum pariter gradientes plura referrent,
Pariſios veniunt, hoſpitiumque petunt.
Corpora feſſa quies recreat, tenuisq; diætæ
Damna recompenſant menſa calixque frequens.
Oſſa, cutem, nervos, quæ vel labor, aut via longa
Quaſſârat, refovent balnea, cura, quies.
Brunellusque ſibi minuit, crinesque totondit,
Induit & tunicâ ſe meliore ſuâ.
Pexus, & ablutus, tandem progreſſus in Urbem,
Intrat in Eccleſiam, vota precesque facit.
Inde ſcholas adiens, ſecum deliberat, utrum
Expediant potiùs iſta, vel illa ſibi?
Et quia, ſubtiles ſenſu, conſiderat Anglos,
Pluribus ex cauſis ſe ſociavit eis.
Moribus egregii, verbo, vultuque venuſti,
Ingenio pollent, conſilioque vigent.
Dona pluunt populis, & deteſtantur avaros,
Fercula multiplicant, & ſine lege bibunt.
Uueſcul & duuchail, nec non perſona ſecunda,
Hæc tria ſunt vitia, quæ comitantur eos.
His tribus exceptis, nihil eſt, quod in his reprehen-
Hæc tria ſi tollas, cœtera cuncta placent. (das,

Nec

Digitized by Google

Nec tamen hæc ita ſunt ſemper reprobanda, quod (illis
Eſſe locus nequeat tempore ſive loco.
Nam duo præcipuè ſunt excluſiva doloris,
Lætitiæque vias inſinuare ſolent.
Tertia res cohibet, quæ dicitur eſſe referta
Gallia fermentum quæ nocuiſſe queat.
Huic comes angelicus prudens deſiderat eſſe,
Poſſit ut illorum conditione frui.
Eſt in eis etiam quoddam, cum publica fama
Somniat adiungi cur magis optet eos.
Si de convictu mores formantur eiſdem,
Cur nihil accreſcat, ſi comes eſſe queat?
Si quid eis præter ſortem natura miniſtrat?
Ante ve retrò bonum cur nihil inde ferat.
Accelerans igitur ſtudio, ſtudioſus adhæret,
Ut diſcat lepidè, Grammaticeque loqui.
Sed quia ſenſus hebes, cervix prædura, magiſtri
Dogmata non recipit, cura laborque perit.
Jam pertranſierat Brunellus tempora multa,
Et propè completus ſeptimus annus erat.
Cum nihil ex toto, quodcunq; docente magiſtro,
Aut ſocio, potuit diſcere, præter: A, B.
Quod natura dedit, quod ſecum detulit, illuc,
Hoc habet, hoc illi nemo tuliſſe poteſt.
Cura magiſtrorum multumq; diu ſtuduiſſet,
Demum defecit, victa labore gravi.
Dorſo ſe baculus, lateri ſe virga frequenter
Applicat, & ferulam ſuſtinuére manus.
Semper A,B, repetit nihil eſt quod dicere poſſit,
Affectus quovis verbere, præter A, B.
Vellicat hic aurem, naſum quatit ille recurvum,
Excutit hic dentes, perforat ille cutem.
Hic ſecat, hic urit, hinc ſolvitur, inde ligatur.
Intonat iſte minas, porrigit ille preces.

Digitized by Google

Sic in eo certant ars & natura viciſſim,
Ars rogat, illa jubet, hæc abit, illa manet.
Quorum principia conſtant vitioſa fuiſſe,
Aut vix, aut nunquam convaluiſſe, valent.
A puero didicit Brunellus A,B, nihil ultra,
Quàm quod natura dat, retinere poteſt.
Quod fuit innatum, ſervat natura, quod artis,
Sic abit, ut vento pulvis abire ſolet.
Perdidit expenſas, periitque labor, ſed & omne,
Quod fuit impenſum conditione pari.
Spes quoque deperiit caudæ ſuperinſtituendæ,
Sentit & Anglorum carmina falſa fore.

CONFUSIO BRUNELLI PRÆANGUSTIA, & quomodo reprehendit ſe, cum nihil profecit.

ERgò recordatus tandem Brunellus inepta
Damna Juventutis, ſe reprehendit ita:
Heu mihi! quod vixi: Quis me furor egit, ut iſtas
Aggrederer partes, Pariſiique ſcholas?
Quid mihi cum Studio, cunctoque labore petito?
Nonne ſatis potuit eſſe Cremona mihi?
Alpibus immenſis & poſt mea terga relictis,
Stultus in extremis partibus æger agor.
Væ! quid in has partes patriâq;, domoq; relictis,
Trans Rhodanum veni, regna videre nova?
Quæ mihi cura fuit, per tanta pericula mortis
Cernere Francigenas, Pariſiique ſcholas.
Noſſe vel Angligenos largos, Galloſque tenaces,
Hos calices, illos multiplicare minas.
Appulus huc veni, ſed Gallicus ecce revertar,
Brunelluſque tamen, qui fuit antè, manet.
Hic nîl addidici, modicum, quod & ante ſciebam
Hìc ego, me totum dedidiciſſe, ſcio.
Gallica verba duo tantùm retinere, loquique
Si poſſem, certè gratia magna foret.

Digitized by Google

Quod ſi fortè tria ſcirem, vel quattuor, eſſem
Par Jovis, aut major crederer eſſe Jove.
Italiam facerem tanto trepidare timore,
Quod mihi Rex ipſe certa tributa daret.
Tunc ego Pariſios in vanum non adiiſſem,
Si ſubjecta foret ſic ſua terra mihi.
Non modò vadit ita: longè mea ſtamina Parcæ
Verterunt aliter, quàm mea vota forent.
Cura mihi certè multa, ſed fata fuerunt,
Quæ mala multa mihi, nilque dedére loqui.
Quod ſatis apparet, quia toto pejor in orbe
Non eſt conditio, conditione meâ.
Senſus hebes meus eſt, mens ſaxo durior omni,
Durius hoc pectus eſt adamante meum.
Cor, caput, & cerebrum ſunt ponderis atq; metalli
Ejusdem, plumbo nam graviora magis.
Ferrea crura mihi, latus eſt quaſi lamina mihi,
Non eſt in toto corpore vena meo.
Ænea, ceu pelvis, cutis eſt mea, quæ tamen ictus
Accipit incasſum, nunc nihil inde dolet.
Non ego verberibus, niſi per maledicta, perire
Posſum, malleolis vix puto poſſe mori.
Cur mea me mater maledictâ fudit ab alvo?
Cur gladio jugulum non dedit ipſa meum?
Triſtis abortivum ſi me peperiſſet, in ævum
Quàm fortunata! quamque beata foret!
Cur lupus eſuriens partes non venit in illas,
Tolleret ut partum, dum tener eſſet adhuc?
Cur mea me mater primis devovit in annis,
Atque venire caſum ſæpè rogavit eum?
Hinc ego pro certo non ſolùm præda futuris,
Eſca ſed et rapidis auguror eſſe lupis.
Nam celer eventus, ſi fas eſt credere famæ,
Maternis precibus ſemper adeſſe ſolet.

Som-

Digitized by Google

SOMNIUM BRUNELLI.

QUoq; magis moveor, me certa pericula terrent,
Præteritâ nocte ſomnia viſa mihi.
Nam pater & mater, Domino pro me prece fusâ,
Orabant, & in hæc verba fuére preces:
Eſto Deus clemens nobis, & ab ore luporum
Eripe Brunellum, facque redire domum!
Sanus & incolumis patrias peregrinus ad oras
Brunellus redeat, liber ab ore lupi!
Non leo, nec pardus, nec peſte nocentior omni,
Ruſticus obſiſtat, vel dominetur ei!
Tranſeat immunis per compita quæque viarum,
Olfactu careat beſtia quæque ſuo!
Sit canis elinguis, catulo non pateat auris!
Currere ne posſit ſit mala gutta lupo!
Quem quia nos aliis plùs formidamus, ab ipſo
Protege Brunellum, facque redire domum!
Viſa per antiphraſin quia ſomnia ſæpe reſolvi
Conſuevére, magis mens mea viſa timet.
Qualia cernúntur nocturno ſomnia viſu,
Talia non debent mane ſequente ſequi.
Sed vice conversâ ſunt exponenda viciſſim,
Atque per Antiphraſin, ſomnia, crede mihi.
Si bona vidiſti, tunc aſpera multa ſequentur,
Si mala, non dubites proſpera multa ſequi.
Sic mea conſuevit exponere ſomnia mater,
Sicut erat prudens, atque diſerta nimis.
Mater ob hanc cauſam litem cum patre frequenter
Inſtituit, ſuper his plurima verba ferens.
Ipſe tamen matri ſemper contraria ſenſit,
Et ſua dicebat dogmata falſa fore.
Utpote qui fuerat aſtrorum lege peritus,
A puero doctus, ſigna notare poli.

Sen-

Digitized by Google

SENTENTIA BRUNELLI DE faciendo ſé Epiſcopum.

ET quodcunque mei ſuper his ſenſére parentes,
Mens mea tota tremit, plena timore novo.
Cur tamen hæc timeam? cum nō ſunt jure timenda,
Quæ nequeunt alio ſtare vel ire modo.
Fata, nec id dubito, ſed quid ſtatuére futurum,
Eveniet; contrà nemo venire poteſt.
Rebus in humanis ſeu decrevére futurum
Fata, quid, eveniat ſemper, oportet, ita.
Nemo ſui fati vel devitare tenorem,
Vel mutare poteſt: Ergò nec ipſe mei.
Et tamen ignoro, quæ ſunt mea fata futurà,
Proſpera vel dura, vel bona ſive mala.
Pontificem forſan me conſtituére futurum,
Inque meâ patriâ ſedis honore frui.
Nam miranda ſolent magis his cōtingere mundo,
Quàm mihi contingat Pontificale decus.
Et ſi contingat me Pontificalibus uti,
Quo poterit capitis Mitra ſedere loco?
Auribus erectis, ceu mos eſt Pontificalis,
Nullus erit Mitræ de ratione locus.
Præſulis in Mitrâ non eſt ſua tota poteſtas,
Quamvis & Officii ſigna ſacrata gerat.
Inter eos ergò non eſt diſtinctio Mitræ,
Immò poteſtatis, quæ comitatur eam.
Mitra caput noſtrum ſine Munere Pontificali
Nulla deaurabit, auxiliante Deo.
Mitra nō aſcendet caput hoc, neq; cornua ſumam,
Si non affuerit, quod ſolet inde ſequi.
Cœtera cum deſint, quæ ſunt comitantia Mitræ,
Quid juvat hâc ſterili conditione frui?
Plenus Præſul ero, quia Pontificalibus uti
Nolo velut mulus, ſed volo ſicut equus.

Mu.

Digitized by Google

Mulus, & Abbatis Mitra ſophiſtica ſemper:
Sed procul â nobis, & decus abſqueDeo.
Abbatum ſteriles Mitras, quas nulla ſequuntur
Chriſmatis officia, non probo ſintque procul.
Gignere cum nequeat, ſua ſic genitalia geſtat
Mulus, & eſt ſterilis tempus in omne ſuum.
Cum rem non habeant, ſua ſic inſignia geſtant
Hi, qui nomen habent, officioq; carent.
Abſit, ut oſtendam, vel talia cornua ſumam,
Qualia ſumpſerunt ille vel ille ſibi.
Integer, & plenè totus volo pontificari,
Ut non ſit ſine re nomen habere rei.
Nomen habent ſine re qui ſic ſibi cornua ſumunt,
Et nihil ulteriùs exhibuiſſe valent.
Abſit, ut hoc faciam, vel ſic mihi cornua ſumam,
Cornua, multiplici præmutilata modo.
Auribus eſſe meis contentus malo duabus,
Quàm duo ſic naſci cornua poſſe mihi.
In quibus excellunt, quoniam patiuntur eclipſin
Mulus & Abbates *in honore pares.
Abbatis tantum capiti valet infula, quantum
Teſticulos mulo pendere quisque velit.
Qui nunc Pontifices fiunt, ſunt apocopati,
Ne ſint Abbates ſyncopa Mitra facit.
Nomen habent ſine re, portant inſignia monſtra,
In quibus effectus nominis omnis abeſt.
Non ita Brunellus capiet ſibi nomen honoris,
Non ſinet imponi cornua vana ſibi.
Munus ab obſequio, vel lingua præambula voci,
Aut immunda manus non maculabit eum.
Non erit intruſus, fœdo cum Symone fœdus
Non paciſcetur, prœmia nulla dabit.
Sed neq; promittet, quia nunquam cauteriatam
Mentem, ſed ſanam Præſulis eſſe decet.

Non

Non prece, nec precio, ſed nec terrore Potentum,
Brunello veniet Pontificale decus.
Ingrediar ſimplex, & ſanâ mente, ſin autem
Præſul in æternum non ero; crede mihi.
Ordine legitimo gradiar, cleroque vacante,
Ingrediar, ne quis me reprobare queat.
Ne, poſtquam fuero tanto donatus honori,
Dicere quis poſſet, improperando mihi:
Sic aſcendiſti, ſic es promotus, & â me,
Sic es & ingreſſus Paſtor, ovile tuum.
Ut Præſul fieres, pepigiſti talia nobis,
Eſto memor verbi, cur facis hæc, vel ita.
Pontificis vita liber eſt, quem jure legendum
Sumere quisque ſibi debet, eumque ſequi.
Pontificis mores clerus, populusque fidelis
Debet in exemplum ſemper habere ſibi.
Nil in eo vitii vel non virtutis haberi
Condecet, ut forma ſit gregis ipſe ſui.
Non leviter liget, aut ſolvat, quæque poteſtas
Fit precioſa minus, ex levitate ſui.
Simplex, non duplex, blandus, non blæſus, hono-
Non oneri, ſtudeat civibus eſſe ſuis. (ri,
Qui ſua largiri debet, non hunc aliena
Quolibet obtentu diripuiſſe decet.
Non niſi ſit ſimplex oculus mentis, tenebroſum
Totum corpus erit, totaque vita ſequens.
Et quod habet mundus totus virtutis, in unum
Pontificem veniat, vix reor, eſſe ſatis.
Quique tenetur ad hoc, ſit ut omnibus & via, dux-
Nil ergò vitii debet adeſſe ſibi. (que
Non odium, vel amor hebetent rationis acumen,
Non oculũ cordis fex nebuloſa tegat. Non

Digitized by Google

Non caro, non ſanguis, quæ ſunt facienda, revelet
Primum Pontifici, Spiritus immò Dei.
Nil faciet, quod amor carnis, vel ſuaserit ira,
Hæc quia præcipitat, ille trahendo ligat.
Sit baculus claudo, ſit cœco lumen, egenti
Copia, ſpes lapſo, conſiliumque reo.
Et veniant ad eum dolor & gemitus viduarum,
Pauperis & lacrimam judicet eſse ſuam.
Cauſa pupillorum ſua ſit, ſibi credat ademptum
Quod non abſtulerit pauper ab æde ſuâ.
Non inopem ſpernat, multùm venerando poten-
Eſt hominis, faciem cernere, corda Dei. (tem.
Non ſis captator famæ popularis ineptæ,
Non ſtudeat mundo, ſed placuiſſe Deo.
Namq; quid eſt aliud, quàm ventus, & aura rece-
dens,
Laus populi, celebris fama favorque] brevis?
Quid juvat, ad famam populi ſibi conciliandam,
Tollere pauperibus, divitibusque dare!
De lacrimis inopum, ventrem ſatiare potentum,
Neſcio, quem laudis debet habere locum.
Sanius eſt famam, dum non de jure laborat
Spernere, quam redimi conditione gravi.
Multi dum laudes hominum venerantur ad horã,
Infames fieri promeruére diu.
Ad laudes hominum nimias ſibi conciliandas,
Qui nimis aſpirat, non ſapienter agit.

Stulta gloriatio Brunelli
de ſeipſo.

Ergò cum fuero Præſul promotus in Urbe,
In toto mundo par mihi nullus erit.

Ob-

Digitized by Google

Obvius exibit populus mihi totus in urbe,
Dicet & obſtipo vertice: Præſul ave!
Quid mea tunc mater, cum me benedicere Clerũ
Viderit, & populum, dicere quæſo poteſt?
Exhilarata, diem, tempus, benedicet & horam,
Quâ peperit natum me benedicta ſuum.
Et pater ille meus, quanto gaudebit honore,
Cum Dominum dicent, Pontificisque patrem?

RESPONSIO BRUNELLI IN SE.

FOrſitan emeritos, patrem matremque, videre
Ruſticus accedet, excutietque caput.
Dicet & occultè, quoniam verſutior usque
Ad mare non poterit eſſe repertus eo:
Magna puer vidi, ſed adhuc majora videbo,
Si fuero ſoſpes, & mihi vita comes.
Tempora Brunelli modò ſunt, quandoque fuerunt
Alterius, vitio eſt, non habuiſſe vicem.
Pontificis tanti nunc tempora ſunt in honore,
Quæ priùs alterius conditionis erant.
Ejus & ipſa parens, quæ nunc communia ſpernit,
Auguror, asſuetum prona ſubibit onus.
Deferet & ſaccum pater ejus, ut ante ſolebat,
Deſinet & dici Præſulis eſſe pater.
Eſt quoque, quod timeo, quoniam de jure timere
Debeo, nam modicum quid nocuiſſe poteſt.

COGITAT ETIAM DE PRÆPOSITO CIVITATIS quid ſibi acciderit.

URbis Præpoſitus, fuerit niſi fortè coactus,
Non me ſuſcipiet, congrua cauſa ſubeſt.
Namque meo patri ſaccum, ſummamq; farinæ
Surripuit furto, res benè nota fuit.
Rumor erat celebris, vicinia tota ſciebat,
Urbs eſt tota mihi teſtis, & ipſe Deus.

 Con-

Condixére ſibi noſtri janitoris in aulam
   Tres pariter fures, tertius ille fuit.
Nequiter, & nocte venientes, tollere plura,
   Si licuisſet eis, propoſuére ſibi.
Primus equum tulit, alter ovem, tulit ille farinam;
   Qui modò Præpoſitus exſtat in urbe ſuâ.
Egresſique domum, cum jam remeare parârent,
   Certantes, ſubitâ disſiliisſe fugâ;
Neſcio, ſive pedum ſtrepitu, caſúve molosſi,
   Extitit * veniunt, præpediuntque viam.
Accelerans que pater prævenit eos, & in arcta
   Vincula conjecit, compedibusque dedit.
Mane quidem facto, cives venére vocati,
   Hi quibus & fuerant tradita jura fori.
Carcere perducti manibus pedibusque ſolutis
   Stabant, quisque ſuum turpe tenebat onus.
Quos timor exſangues, quos & pudor ipſe parentũ
   Fecerat elingues, immemoresque ſui.
Inſiſtendo diu tandem cœpére fateri,
   Quos tamen ante ſatis conſtitit eſſe reos.
Crimina confesſos, populus decrevit iniquos
   In cruce ſuspendi, quam meruére ſibi.
Totâ nocte cruces famuli, funesque parabant,
   Debuit & mane quisque ſubire ſuam.
Tum mihi quæ mecum miſeratio crevit ab alvo,
   Suggesſit, miſeris ut miſererer eis.
Non tamen oblitus vulgi memorabile verbum,
   Quod ſolet ex tali conditione ſequi.
Inter mille viros erit ille nocentior hoſtis,
   Quem te conſtiterit ſubripuisſe cruci.
Sed tamen his ſpretis tandem miſeratio mentem
   Vincit, & evicit me pietatis amor.
Clavibus ergò patris clam ſumptis, clamq; relatis,
   Rem grandem feci, quamque recordor adhuc.

Car-

Carceris ê fundo fures, de nocte ſolutis
  Compedibus, ſolus, & ſine teſte, tuli.
Nam ſi fortè nefas tantum ſciretur in urbe,
  Protinus inflicta debita pœna foret.
Sicque recedentes, noſtro mediante labore,
  Evaſére ſimul verbera, verba, cruces.
Quosque meis humeris, ne forſitan alter adesſet
  Conſcius, expoſui trans vada, transque vias.
Tres ſimul, atq; ſemel, ne quis remaneret eorum,
  Impoſitos humeris longiùs ipſe tuli.
Nec, poſtquam ferre didici mala pondera, pondus
  Me memini tale, tamque tulisſe grave.
Quisque ſatis per ſe fuerat grave pondus, in unum
  Quantò collecti plus nocuére mihi.
Annisque ingentis ſi vixero, ponderis hujus
  Præ gravitate mihi corpore pejor ero.
Ponderis illius, quia me tulit inde deorſum,
  Quin memor exiſtam, non erit ulla dies.
Malo tamen miſeros noſtro ſervasſe labore,
  Quàm non ſervatos expoſuisſe cruci.
Cumque vale facerent, & fletibus ora rigarent,
  Talia proſtrati vix valuére loqui:
Ecce tui, Domine Brunelle, per omnia ſervi
  Nunc & in æternum tres ſumus, ecce, tui!
Tu dare nos poteris, tu vendere, tuque vocare,
  Quo tibi cunque placet, & veniemus eò.
Tu tribus his miſeris vitam veniamque dediſti,
  Sed data non noſtra, ſed tua ſemper erit.
Noſtrûm quisque tibi ſervus remanebit in ævum,
  Tempore nec quovis deſinet eſſe tuus.
Jure tuus debet ſervus certisſimus eſſe,
  Quem tu ſalvaſti carcere, fune, cruce.
Quemque tuis humeris dignatus es ipse Magiſter
  Et dominus ferre, non erit ille tuus?

Abſit, ut ille tuus non ſit, qui nec ſuus eſſe
Poſſet in æternum, ſi tibi velle foret.
Et ſi vita comes fuerit, nos retribuemus
Hanc tibi condignam pro vice jure vicem.
Detq; Deus nobis tempusq; locumq;, nec ante,
Quàm tibi reddamus, te potuiſſe mori.
Iſta ſatis memini, quoniam dixére, ruentes
Sæpiùs in terram: Tres ſumus ecce tui!
Néve nefas patri populoque pateret, & urbi,
His ita dilapſis, mox ego vincla tuli.
Et mea culpa, miſer, nec non mea maxima culpa,
Cœlitus, aſſerui, ſingula rupta fore.
Quodque Dei ſanctus veniens Leonardus, eorum
Vincula ſolviſſet, quodque tuliſſet ea.
Hinc ergò vereor, ne vulgi verba ſecundùm
Præpoſitus reddat facta priora mihi.
Proque bonis ſatagat mala reddere, meq; prioris
Ob cauſam meriti, nolit habere parem.
Non deſperarem ſuper his, nec jure timerem,
Conſcius admiſſi criminis ipſe fui.
Inſita ſi miſero generoſi ſangvinis illi
Naturæ ſtudio ſtilla vel una foret.
Nam ſolet hoc proprium generoſi ſangvinis eſſe,
Condignam meritis reddere velle vicem.
Contra naturam niti, moresque caninos,
Quàm ſit difficile, dicere nemo poteſt.
Stigmata naturæ ſervilis conditionis
Tollere nec medicus, nec medicina poteſt.
Semper ab effectu quæ ſit natura, vel unde
Venerit? aſcendit, nec latuiſſe poteſt.

DISCESSUS BRUNELLI A CIVITATE PARISIENSI.

TAlia Brunellus ſecum meditatus, ab urbe
Pariſiis, ſtatuit mane referre pedem.

Ergò

Ergò vale facto, ſociis & flentibus illis
Omnibus, exit, abit, acceleratque gradum.
Montis in aſcenſu poſitus, poſt terga relictam
Pariſium cernens, obſtupefactus ait:
Sancta Maria, Deus, crux Chriſti, me benedicat!
Hâc in valle ſitus quis locus eſſe poteſt?
Hæc eſt Roma, puto, magnis circumdata muris,
Urbs ita turrita, quid, niſi Roma, foret?
Atq; quid eſſe poteſt aliud, quàm mons Jovis, iſte?
Sancta Maria Deus! eſt ita Roma propè?
Urbs, in quâ ſtudui, cujus modò nomen ab ore
Fugit, & â corde? Væ mihi! qualis ego?
Ergò domum repetens, patri matrique roganti
Quo modò profitear me ſtuduiſſe loco.
Me fortè trutannum, me nil didiciſſe, parentes
Dicent, & ſumptus deperiiſſe ſuos.
Ergò revertar ego, nomen quod neſcio, diſcam,
Ne rudis in patriâ prædicer eſſe meâ.
Non nihil illud erit, cum nomina certa locorum
Dixero, confingens, me tenuiſſe ſcholas.
Et ſi neſcirem vel nomina ſola referre,
Quicquid ego dicam, credere nemo volet.

De silentio Brunelli.

Talia dicenti, jam jamque redire volenti,
Ruſticus adveniens obvius, inquit ei:
Pariſios, Brunelle, tibi quæ cauſa petenti?
An docuiſſe venis? an didiciſſe tibi?
Nomine Pariſius ſtatim Brunellus adepto,
Vertit iter, retinens nomen in ore ſuo.
Quod ne perdat item caſu, ſtudioque loquendi,
Accidat ut rurſum, ſicut & ante, ſibi:
Nil omninò loqui ſtatuit ter quinque diebus,
Excepto ſolo nomine; Pariſius.

Quicquid contingat, quicunque ſalutat euntem,
Nil reſpondebit, ſed quaſi mutus erit.

Qualiter Brunellus violavit Silentium ſuum.

Contigit intereà, quod, cum completa fuiſſet
Religione ſub hâc jam duodena dies,
Quidam Romipeta peregrinus ab urbe vicinâ
Alpibus in mediis ſe ſociavit ei.
Accedensq́ue propè dixit: *Reverende Magiſter*,
Sit Dominus tecum! ſit tibi mane bonum!
Proſpera tota dies ſuccedat! veſpere claro
Hoſpitium gratum, noxq́ue quieta tibi!
Sed Brunellus ad hæc, indicta ſilentia ſervans,
Nil reſpondit ei, verba nec ulla dedit.
Sed tamen inclinat ſupplex, verboq́ue ſalutis
Nutibus & ſignis annuit, ore tacens.
Hoſpitium ſubiére ſimul, quo feſſa diurno
Membra labore ſuo nocte dedére toro.
Cumq́ue *Pater Noſter* peregrinus in ore frequente
Volveret, exorans ſollicitansq́ue Deum;
Evigilans Brunellus ait: Solum, quod habebam,
Verbum ſubripuit vox peregrina mihi.
Syllaba conſimilis verbi totiens repetiti
Nomen ſubripuit urbis, ubi ſtudui.
Quiq́ue *Pater Noſter* totiens iteravit in ore,
Me nimis intentum reddidit ille ſibi.
Perq́ue ſuum ſimilè verbum peregrinus iniquè
Me ſupplantavit, & mea verba tulit.
Sanius eſt, memini, ſocialia fœdera rumpi,
Quàm cum collegâ fœdus iniſſe malo.
Hoc ſatis ante mihi, damni præſaga futuri,
Mens mea prædixit, vera propheta nimis.
Verbum pro verbo, proprium mutans alieno,
Deſtruo, ſeptenni parta labore gravi. Ver-

Digitized by Google

Verbum quod peperi minimum, verbo peregrini
Par fuit in parte principio que ſui,
Finis erat diſpar, quod ſi meminisſe valerem,
Me ſatis inferior juppiter ille foret.
Centum vel mille ſolidos, ſi dives haberem,
Vellem ſub tali conditione dare.
Nominis amisſi vix ſyllaba prima remanſit,
Quod ſupereſt reliquum, deſiit eſſe meum.

Consolatio Brunelli
ad ſeipſum.

Est aliquid melius, quàm nil, tenuiſſe, tenebo,
Quæ ſupereſt tantùm ſyllaba prima mihi.
Partem pro toto poni docuére diſerti,
Dummodò remaneat, ſufficit una mihi.
Nec totum ſupereſt, ubi pars eſt una recîſa,
Nec totum periit, parte manente ſui.
Præſtat de toto partem retinere vel unam.
Qualemcunque tamen, quàm reticere mihi.
Plures non poteram forſan retinere, ſed unam,
Pluribus elapſis, hanc retinebo benè.
Artibus ex ſeptem ſi ſyllaba ſola ſuperſit,
Hoc mihi non nihil eſt, nec reor eſſe parum.
Et quia multotiens errare ſcientia multos
Fecit, & inflatos præſtitit eſſe graves.
Littera ne lapſum, pariatque ſcientia damnum,
Sufficit una mihi ſyllaba, nolo magis.
Tædia nonnunquam generoſa ſcientia gignit,
Et faciunt apices moribus eſſe graves.
Sæpiùs in paucis rebus natura miniſtrat,
Exerit & vires fortius ipſa ſuas.
Contenti paucis ſtudiis, brevitate juvantur,
Opprimit & ſenſum ſollicitudo frequens.

Digitized by Google

Scire quidem multa, niſi ſit benè ſcire, ſcienti,
Ut verum fatear, non honor eſt, ſed onus.
Paucula de multis multi rapuére ſcientes,
Ni videantur in his omnibus eſſe ſuis.
Eſt didiciſſe labor, labor eſt etiam retinere,
Eſt quoque ſcire labor, eſt docuiſſe labor.
Quoq; magis moveor, quod nulla ſcientia mortē
Qualibet arte ſuâ dedocuiſſe poteſt.
Nonne timor mortis toto dominatur in orbe?
Omnibus & ſolis iſtud ineſſe ſolet.
Omnia lance pari, paribus ſimul omnibus, uno
Pondere diſtribuit dura ſed æqua nimis.
Hanc ego non poſſem non præcinuiſſe futuram,
Ex improviſo ne mihi dicat: obi.

COMPUNCTIO BRUNELLI AD INTRANDUM Religionem: Sed nullam invenit convenientem.

HInc ego diſpoſui me tradere Relligioni,
Ut valeat ſalvus ſpiritus eſſe meus.
Utque ſenex redimam juvenilia tempora, vitam
Fas eſt ut ſatagam corripuiſſe meam.
Quod ſupereſt modicum vitæ, ne tota deorſum
Defluat, hoc opto claudere fine bono.
Eſt melius, ſerò quàm nunquam pœnituiſſe,
Quem pudet erroris, pœnituiſſe decet.
Et ſi mane fuit, vel tota dies nebuloſa,
Obſcurum redimat veſpera clara diem.
Quod malè diſperſit incircumſpecta juventus,
Ejus in flore ſuo prodiga facta ſui.
Damna juventutis redimens annoſa ſenectus,
Colligat in fructu floribus uſa ſuis.
Spes fuit in flore, ſed flos defloruit, â ſpe
Spes cecidit, fructu deficiente bono.

Digitized by Google

Spes abiit florum, ſpes una noviſſima fructus
Dum ſupereſt, aliquid utilitatis agat.
De re tam certâ nil morte latentius ipsâ,
Omnes ipſa latet, omnibus ipſa patet.
Rebus in humanis mors eſt respublica nobis,
In quâ quisque vicem proprietatis habet.
Si qua tamen propria res eſt, vel publica, morte
Nulla magis propria, publica nulla magis.
Ergò quid hic facio? niſi quod deſervio mundo:
Mors mihi cras dicet: En ego! ſurge, veni.

Sententia Brunelli de diversis Religionibus exiſtentibus.

Nil igitur ſupereſt, niſi tantùm Relligioni
Me conferre, procul ſit, precor, ergò mora!
Sed quia diversæ ſpecies ſunt Relligionis,
Neſcio præcipuè quæ ſit habenda mihi?
Si Cruce ſignatis Rubeâ me confero templo,
Trans mare me mittent, ſolvere vota Deo.
Servus ero, ſervum facient procul eſſe ſeorſum,
Serviet & forſan in regione Tyri.
Non tamen ibo pedes, ſed equo, qui paſtus avenâ,
Craſſus, & ad calces ſit tener, atque levis.
Quique pedem ſervans, & fractis greſſibus errans,
Molliter incedat, Regula noſtra jubet.
Scandere trotantem prohibet quoq; regula, nolò,
Quod per me careat ordo rigore ſuo.
Ingredior miles, nec candida pallia deſint,
Sed tamen ad bellum non, rediturus, eo.
De cute corrigiam noſtram Soldanus habebit,
Et comedet carnes beſtia ſæva meas.
Incircumciſi gladius mea viſcera fundet,
Detracto corio cœtera tradat humo.

Digitized by Google

De Hoſpitulariis, Alba Cruce ſignatis.

Rurſus ſi fuero Crucis Hoſpitularius Albæ,
Ad Libanum mittar, ligna referre domum.
Cum lacrimis pergam, ſcuticâ cædente remordi,
Et venter vacuus, & quaſi vellus erit.
Multa licet ſubeant mihi, nil de jure licebit,
Præter mentiri, magnificando domum,
Et ſi transgreſſus fuero ſemel, atque ſecundò;
Vade foràs, dicent: diripientque crucem.

De nigris Monachis.

Eſſe Niger Monachus ſi fórtè velim Cluniaci,
Ova, fabasque nigras cum ſale ſæpè dabunt.
Surgere me facient mediâ de nocte, volentem
Ampliùs in calido membra fovere toro.
Quodque magis nollē, pellent me ſurgere ſurſum,
Et geminare meos in dyapente tonos.
Vox eſt rauca nimis, quamvis ſit & ipſa ſonora,
Pectus & obſcurum tuſſis anhela gravat.
Pſallere ſi nolim, facient me ferre lucernam,
Debita reddentes præmia mane mihi.
Multotiens carnes, & pingvia ſæpe vorare
In feriâ ſextâ ſæpe licebit eis.
Pellicias portant, & plura recondita ſervant,
Quæ non ſunt ſociis omnia nota ſuis.
Sed neque ſunt Dominis Abbatibus omnia nota,
Quamvis vel cupiant, præcipiantq; ſatis.
Quod ſi contingat, ſtabilita ſilentia ſolvi,
Corripient verbis, verberibusque ſimul.
Et ſi percutiam, vino ſtimulante, vel irâ,
Me gravibus culpis carceribusque dabunt.
Qui niſi clauſtrali, multumq; diuq; ſtudenti,
Experto tribuunt exteriora loca.

Digitized by Google

Non amor Abbatis ibi, nec cognatio quævis
Contra clauſtrales obtinuiſſe poteſt.
Ordinis aut moris nunquam diſpendia quiſquam
Fratribus ex nigris ſuſtinuiſſe valet.
Non comedunt, vel emunt ſua prædia, vel Priorat⁹:
Omnia ſed gratis diſtribuuntur ibi.
Si quam de membris nebulam contingit oriri,
Hanc caput exſorbet nobilitate ſuâ.

De Monachis Albis.

SI fuero Monachus Albus, generalia dura
Hi pulmenta duo, ſed benè cocta, dabunt.
Hoc odiunt, quod ego ſine fratre fideliter odi,
Scilicet, ut propè ſe ruſticus arva colat.
Agrorum cupidi, nunquam metas ſibi poni
Vicinis vellent peſtis iniqua ſuis.
Lac & lana, greges ovium pecorumq; miniſtrant,
Quod ſatis eſt, quamvis nil ſatis eſſe putent.
Paucis contenti, non ceſſant quærere magna,
Et cum poſsideant omnia, ſemper egent.
Otia ſectari non me patientur ibidem,
Sed bene me paſcent in novitate meâ.
Omnibus injungunt operas, ne deſidioſus,
Aut quandoq; vacans, inveniatur ibi.
Sabbata rara colunt, malè reſpondente coquinâ,
Eſt ibi virga frequens, atque diæta gravis.
Non comedent carnes, niſi cum permiſerit Abbas,
Præpoſitusve loci de pietate ſuâ.
Et quia quadrupedum prohibet ſua Regula carnes,
Nec ſinit his veſci pro gravitate ſui.
Quæ volat, aut currit, ſemper cupiunt bipedalem,
Non quia ſit melior, ſed quia rara magis.
Cum tamen illud agunt, teſtis vicinia fumi
Non erit, aut facti conſcia facta ſui.

Digitized by Google

Carnibus abſumptis, veſtigia nulla videbis,
Nec clamant, heic heic oſſa ſepulta jacent.
Tres etiam tunicas de jure, duaſque cucullas
Omnes accipiunt, & ſcapulare breve.
Tædia de nocte, femoralia nulla jacenti
In lecto facient, ſit procul iſte timor.
Neſcia braccarum, genitalia membra deorſum
Nocte dieque ſimul libera ſemper erunt.
Ergò quid facerem? Veniens ſi ventus ab Auſtro,
Nudaret ſubitò poſteriora mea?
Quod ſi contingat, mea nuda pudenda videri,
Nunquam de reliquo Monachus Albus ero.
Diſpenſare tamen mecum poterunt ut opus *
Ne piſa quam porto, ſit manifeſta foro.
Membra pudenda magis, magis eſt texiſſe neceſſe,
Atque minus dignis major habendus honos.
Eſt in fratre ſuo, ſua vel texiſſe pudenda,
Vel detexiſſe, qui tegit illa, ſapit.
Tu, tibi quod non vis fieri, ne feceris ulli,
Quod cupis, ut faciat quis tibi, fac & ei.
Frater ab effectu, non ſolo nomine dici
Frater habet, ſine re nomen inane tenet.
Sunt etiam multi, quos falſo nomine fratres
Dicimus, & ſcimus hoſtibus eſse pares.
Fratribus in falſis quia multa pericula Paulus
Paſsus erat, ſcriptis inſerit iſta ſuis.
Plurima falſorum ſunt vera pericula fratrum.
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *
Quiſque ſibi caveat à fratre ſuo, nec in illo
Ponere præſumat ſpemq; fidemq; ſibi.
Rara fides fratrum, quia, cum ſit quiſq; fidelis,
Se probat infidum, dum caret ipſe fide.
Frater carnalis nec non & ſpiritualis
Fallitur, & fratrem fallit uterque ſuum.

Si tibi

Digitized by Google

Si tibi contingat fratrem reperire fidelem,
Sit tibi pars animæ, dimidiumque tuæ.
Nam tot ſunt ficti, tot falſi totque ferales,
Quod jam mundus eos dinumerare nequit.
Qui ſunt in clauſtro, tanquam Sathan in paradiſo,
In quo conſtat eum Juris habere nihil.
Talia me terrent, dum Relligionis ad arcem,
Tendo, nec attendo, quôve vel unde ruo.
Forſitan & vanus timor eſt, vanoque moveri
Multotiens hominum corda timore ſolent.

De Ordine Grandimontensium.

GRandimontanam Vitam cum Veſte profeſſus
Si fuero, vereor aſperiora pati.
Hi cum nil habeant, ne ſe patiantur habere
Ex nihilo, ſemper ſufficienter habent.
Abdita Clauſtra colunt, & nulla ſilentia ſervant,
Neſcit ſigna manus, libera lingva manet.
Non fundos, nec agros, nec paſcua lata requirunt,
Nec facit ad ſaccos annua lana decem.
Vellera nec triplici paſſu diſtingvere norunt,
Idem ſaccus habet pectora, colla, latus.
Non macerant nudas aſſumpto vellere pelles,
Nec faciunt pingves in nemus ire ſuos.
Non mare contendunt retibus, nec retia laxant
Piſcibus, aut hamis inſidiantur eis.
Qualia vel quando comedunt, ſi lauta diæta,
Vel tenuis ſit, eis non mihi ſcire licet.
Si pluit, è cœlo ſemper quod habent quaſi manna,
Quid plus præſtaret area lata brevis.
Si vivunt ut homo, nec ſunt ut angelus ipſe,
A ſtudiis hominum cur prohibentur ita?
Et ſi ſunt homines, mortales conditione,
Cur non humanâ vivere lege licet?

Digitized by Google

Quod fit in occulto, rarò ſine ſuſpicione
Eſſe poteſt, homini nec licet abſque notâ.
Si ſatagant corpus carnemque domare rebellem,
Commodiùs facerent, & meliore modo.
Non reprehendo tamẽ ſuper his, nec judico quen-
Servus enim Domino ſtatq; caditq; ſuo. (quam,
Litibus & cauſis variis fora publica vexant,
Et teritur longo tempore cauſa brevis.
Sumptibus inſiſtunt, nil proprietatis habentes,
Fitque triluſtralis cauſa ſepulta diu.
In duo diviſi, multumque diuque laborant,
Atque ſupervacuis ſumptibus uſque vacant.
Nam vice converſâ, laico dictante, ſacerdos
Exhibet officii vota ſacrata ſui.
Motus ob hãc cauſam, mox eſt Romamq; profectus;
Sed nec ibi meruit ſumere cauſa modum.
Plurima fuerunt, ſed mons eſt pingvis & uber,
Qui de lacte ſuo cuncta miniſtrat eis.
Et quem nullus arat, ſerit, aut metit, ordine miro
Pullulat ad votum, quicquid habere volunt.
Ergò quid extat homo? qui vivit ut angelus intùs,
Pulſatur totiens exteriore foro.

De Ordine Carthusiensium.

Quid ſi Carthuſiam me convertendo revertar,
Pellibus & tunicis pluribus utar ibi?
Cella mihi dabitur, quam ſolam ſolus habebo,
Nemo mihi ſocius, nemo miniſter erit.
Solus enim pſallam, ſolusque cibaria ſumam,
Et ſine luce meum ſolus adibo torum.
Semper ſolus ero, cellâ retinente trimembri,
In quâ continuè pes meus alter erit.
Semper erunt præſto, pulmento conficiendo,
In Cellâ propriâ, ligna, legumen, aqua.

Viſere

Digitized by Google

Viſere me veniat Prior Ordinis? atque frequenter.
Panis erit calidi portio magna mihi.
His ovium, pecorum, nemorum, terræque ferarū,
Vivere quò poſſint, portio certa datur.
Interior veſtis, quam lana caprina miniſtrat,
Carnem caſtigat asperitate ſuâ.
Quâlibet hebdomadâ ter pane cibantur, & undâ;
Non comedunt carnes, ſit niſi feſta dies.
Et ſemel in menſe, vel bis de jure venire
Ad Misſam poterunt, ſi vacat, atque volunt.
Contenti propriis, nec divitibus, nec egenis,
Esſe volunt oneri, cras, hodie, vel heri.
Non licet augere numerum pecorum, vel agrorū;
Taxatur certo canone, quicquid habent.
Carnis in æternum cuncti prohibentur ab eſu,
Præter eum, ſi quem tabida lepra tenet.
Ad fora non veniunt, quò litem ſcire reſolvant,
Nec populi vanum depopulantur Ave.
Hoſpitis adventu gaudent, mutantque diætam,
Dant, quod habent, hilari pectore, voce, manu.

De Nigris Canonicis.

Est et item vita Nigrorum Canonicorum,
Judicio populi digna, decensque Deo.
Mollibus induti, non ſemper pingvibus uſi
Inque refectorio carnibus, absque mero.
Quid caro peccavit plùs, quàm piſa, faba, legumen,
Ne posſet comedi conditione pari?
Quâ nos cauſamur non eſt in carne reatus,
Sed comedente malè, nec prohibente gulâ.
Cauſa datur vino, debetur cauſa bibenti,
Cum caput, aut membra cœtera mane dolent.

Ne

Ne pariat pſalmus, vel lectio, tædia longa,
In pſallendo tenent, inque legendo, modum.
Nec nituntur ad hoc, ut vocibus immoderatis
Ardua prævaleant rumpere tecta domûs.
Candida ſint pura ſubtili ſtramine texta,
Mundis munda placet linea veſtis eis.
Veſtis honeſta quidem, quæ nec cum carne rebelli,
Nec cute bella gerit, aſperitate ſui.
Exteriora tamen claudentur ſchemate nigro,
Ut color alterius aptior esſe queat.
Lumina ne lædat, albo nigredo repugnat,
Inque timore nigro gaudia candor habet.
Sic arcus cœli gemino candore refulget,
Sic pilus eſt pardo candidus, atque niger.
Pallia cornicis dat penna ſubalbida nigræ
Candida, ſic picas & nigra penna tegit.
Si veſtis bicolor carnem ſine corde colorat,
Mens erit abſq; notâ, veſte tenente notam.
Quid refert, quales veniant in veſte colores,
Si mens unicolor interiora tegat?

De ordine Præmonstratensium.

PRæmonſtratenſes rurſus, qui veſtibus albis
Induti veniunt, ſimplicitate placent.
His color unus adeſt, niveo candore refulgens,
Hos ſemper ſimplex veſtis ovina tegit.
Omnibus abjectis, durâ pro mollibus uti
Veſtibus, ad præſens hoc ſtatuére modo.
Vellere partito, quod colli nuda protexit,
In proprios uſus conſtituére ſuos.
Ne caro luxuriet, vervecis vellere criſpo
Corpora caſtigat caſtitate gravi.

Damna

Damna tamen lini, lanâ redimenda ſuavi,
Ordine cogente ſuſtinuiſſe decet.
Ordinis auſterus rigor eſt, quia carnibus uti
His in conventu tempus in omne vetat.
Diſpenſando tamen, ſacer ordo ſalubriùs uſus
Conſiliis, ſuper his alleviavit onus.
Pingvia concedens, quæ ſunt affinia carni,
Sic tamen, ut nunquam fit manifeſta caro.
Bellum cum carne, pacem cum pingvibus eſſe,
Pacis amatores hoc ſtatuére modo.
Carnis honeſtatem ſic conſervare volentes,
Ne contra carnem lex inhoneſta foret.
Si foret excluſa penitùs caro, carnis honeſtas
Sæpè daret cauſam materiamque mâli.
Unde nec admiſſa, penitùs nec tota repulſa,
Exulat, in patriâ menſtrua facta ſuâ.

De canonicis secularibus.

Sunt & Canonici Seculares, atque vocati
Nomen ab officio promeruére ſuô.
His, quodcunque libet, nova lex, licitumq; ſub iſto
Canone conſtituit vivere tota cohors.
Hi nihil excipiunt, nec dicunt deſpiciendum,
Quicquid in obſequio carnis ineſſe poteſt.
Illud præcipuè tamen inſtituére, tenendum
Omnibus in totâ poſteritate ſuâ.
Lex vetus ut ſua ſit, ne quilibet abſque ſuâ ſit,
Et quod quisque ſuas poſſit habere duas.
Hi ſunt, qui mundum cum flore cadente tenentes,
Ne ſic marceſcat, ſæpè rigare ſtudent.
Hi ſunt, qui faciunt, quidquid petulantia carnis
Imperat, ut vitiis ſit via prona ſuis.
Totus in errorem mundus, præeuntibus illis,
Ducitur, hi præeunt, præcipiteſque ruunt.

Digitized by Google

Hi mundum, non mundus eos habet, atq; deorſum
Hi quia compellunt, funditùs ille cadet.
Hi fundamentum fidei ſubvertere prompti,
Moribus expugnant, quæ facienda docent.
Hi ſunt, Pontificum per quos vigor, ordo, poteſtas
Nutat, & Eccleſiæ fit ſtatus absque ſtatu.
Langvet, & exſpirat per eos reverentia Cleri,
Deficit in nihilum Relligionis honos.
Horum conſilio Reges meditantur iniqua,
Et quæ debuerant ſtringere, laxa tenent.
Pontificum latera ſunt hi, Regumque ſiniſtra,
Pes errans, mendax lingva, recurva manus.
Cor duplex, ſimulatus amor, ſine vivere nomen,
Jra latens, vera motio, falſa quies.
Burſa carens fundo, prædæ ſine nomine, prædo,
Lanx mendax veri, vera ſtatera doli.
Hi ſunt, juſtitiam qui proſtituére pudicam,
Falſa loqui lingvas qui docuére ſuas.
Qui dum labentem mundum retinere laborant,
Cumque labente labent, cumque ruente ruent.
Quorum vita labor, via lubrica ſtât quaſi ſtercus,
Finis in incerto, præmia certa labor.

De bonis Canonicis.

Quod bene dum ſecum quidam meditantur eorum,
Talibus â ſtudiis ſe cohibere ſtudent.
Qui pariter mundi fœno cum flore relicto,
Omnia quæ mundi ſunt, nihil eſſe putant.
In medio fornacis agunt, flammæque vorantis,
Ignitum ſtudium conſtituére ſuum.
Nec tamen uruntur, quia quos refrigerat intùs
Spiritus, exterior flamma cremare nequit.
Decoquit hos mundus, & ſicut in igne camini
Aurum flamma probat, ſic Deus urit eos.

In

In mediis flammis, & in ignibus eſſe, nec uri,
Non eſt naturæ, ſed Deitatis opus.
Cum propriâ carne certamina longa tenere,
Res eſt difficilis, & metuenda nimis.
Nam caro mortalis levis eſt. & cerea flecti,
Quò natura vetus & vitioſa trahit.

De monialibus.

Eſt & adhuc ordo velatarum mulierum,
Quas etiam minimas dicimus eſſe ſacras.
Quidam virginibus, viduisque coactus in unum
Ordo, ſatis notus pluribus eſſe ſolet.
Horas Canonicas ſolito de more frequentant,
Solventes penſum nocte dieque ſuum.
Vocibus altiſonis adeò modulamine dulci
Cantant, Sireneis quod ceciniſſe par his.
Corpore ſerpentes, Sirenes voce, Dracones
Pectore, Suſannæ ſmigmate * pares.
Sed tamen illud habent, unū quod cuncta refellit,
Ante Deum lacrimas, quæ ſine lege fluunt.
His Dominum placant ſemper, veniamq; merentur,
His ſua cuncta lavant crimina, quicquid agunt.
Omnibus auretenus licet his nutrire capillos,
Sed non ulteriùs Regula namque vetat.
Utuntur niveis, agni de corpore ſumptis
Pellibus intenſis, pallia nigra gerunt.
Hæ caput abſcondunt omnes, ſub tegmine nigro,
Sub tunicis nigris candida membra latent.
Cingula nulla ferunt, ſed nec femoralibus uti
Conſuetudo fuit, neſcio, ſi modò ſit.
Nunquam rixantur, niſi cum locus exigit, aut res,
Sed neq; percutiunt, ſit niſi cauſa gravis.
Harum ſunt ſteriles & quædam parturientes,
Virgineóque tamen nomine cuncta tegunt.

Digitized by Google

Quæ Paſtoralis baculi dotatur honore,
  Illa quidem meliùs, fertiliusque parit.
Vix etiam quævis ſterilis reperitur in illis,
  Donec eis ætas talia poſſe negat.

De ordine novo in Anglia conſtituto.

Eſt & adhuc alius nuper novus ordo repertus,
  Quem benè, nam bonus eſt, convenire decet.
Hic apud Anglorum fines exortus, ab ipſo
  Nomen habet, natus quo fuit ille, loco.
Simpligama dictus, de ſimplicitate vocatus,
  Sive per antiphrasin ordo vocatur ita.
Canonici miſſas tantùm, reliquumq́; ſorores
  Explent, officii debita jura ſui.
Corpora, non voces, murus disjungit, in unum
  Pſallant directè pſalmitis absque metro.

Novus ordo Brunelli factus de aliis ordinibus.

Talia dum mecum tacitus conſidero, vitam
  Neſcio quam poſſum conſtituiſſe mihi.
Tutius ergò puto, nec non conſultius eſſe,
  Ut ſtatuam leges ordinis ipſe novi.
Qui meus ordo meo nomen de nomine ſumat.
  Nomen in æternum vivat ut inde meum.
Ordine de Templi ſumamus Equos gradientes
  Leviter, neque levis ſit meus ordo mihi.
Ut mihi mentiri liceat quocunque locorum,
  Fratribus ex aliis hoc retinere volo.
Ut feriâ ſextâ liceat mihi pingvibus uti,
  Hæc Cluniacenſis conferat ordo mihi.
Fratribus ex aliis ſatis eſt, & ſufficit illud,
  Ut liceat braccis nocte carere mihi.

Gra-

Grandimontanos in eo, quod multa loquuntur,
Multùm commendo, quosque tenere volo.
Carthuſios fratres in eo diſcerno ſequendos,
Miſſa quod in menſe ſufficit una ſatis.
Canonicos Nigros, carnes comedendo, ſequamur,
Ne quid ab hypocriſi contrahat ordo meus.
Præmonſtratenſes ſtatuo de jure ſequendos
In molli tunicâ, multipliciq́ue togâ.
Ordine de reliquo placet, ut perſona ſecunda
Fœdere perpetuo ſit mihi juncta comes.
Hic fuit ordo prior, & conditus in paradiſo,
Hunc Deus inſtituit, & benedixit ei.
Hunc in perpetuum decrevimus, eſſe tenendum,
Cujus erat genitor cum genitrice meâ.
Et genus omne meum ſemper fuit ordinis hujus,
Quo genus humanum deficiente cadet.
Ordine de ſacro ſacratarum Mulierum
Accipiam, Zonam ſemper abesſe meam.
Cingula lata bona non ſunt mihi, ſed neq́ue ventri
Conveniunt grosſo cingula ſtricta meo.
Eſt & adhuc aliud in his, quod in ordine noſtro
Apponi volumus, cum locus aptus erit.
Quid de ſimpligamâ? quantum? vel qualia ſumam?
Neſcio, nam nova res me dubitare facit.
Hoc tamen ad præſens nullâ ratione remittam,
Namq́ue necem nimis fratribus eſſe reor.
Quod nunquam niſi clam, nullâq; ſciente ſororũ,
Cum quocunq́ue ſuo fratre manere licet.
Sunt etiam quædam, quæ ſi nunc non meminiſſe
Poſſumus ad præſens, poſteà tempus erit.
Ergò nil reſtat, niſi confirmatio ſola
Pontificis Summi, quam dabit ipſe libens.
Nam qui juſta petunt, nullâ ratione repulſam
A Domino Papâ ſuſtinuiſſe ſolent.

Digitized by Google

Illuc ergò decet primò divertere, Papam,
Et Fratres humili ſollicitare prece.

Quomodo Brunellus obviavit Galieno.

TAlia dicenti, veniens Galienus ab urbe
Obvius, acceſſit, vidit, & inquit ei:
Nunquid non es tu, noſter Brunellus? & ille:
Heu mihi! ſum certe: Chare Magiſter, ave!
Ille dolens ego ſum Brunellus, ab urbe Cremonâ,
Quem bene tu noſti, ſi meminiſſe placet.
Ecce ſenem cernis, fractumque labore decenni,
Qui juvenis quondam, fortis, & acer eram.
Quàm mala multa tuli pridem! ſed me tamen unũ
Funditùs abſumpſit ſollicitudo ſcholæ,
Ruſticus atq; ſchola, duo ſunt tormenta dolorum,
Intùs & exteriùs quæ macerare ſolent.
Ruſticus exteriùs pungit, ferit, atque flagella
Dat ſchola, ſed paſcit viſcera, corda, latus.
Saxa ſed, & lapides mallem portare molares,
Quam ſic aſſiduis invigilare ſcholis.
Quam mala fata mihi! verùm mea fata nec ultra,
Vel citra poſſum, quàm ſtatuére mihi.
Fluctuat in dubiis animus meus, inque dolendis,
Præque dolore meo mens mea mente caret.
Nam tot & tanta miſeri ſunt ſcandala mundi,
Tot Regum ſcelera Pontificumque mala.
Tot quoque ſunt mortes in Relligione, tot extrà
Peſſima, præque ſui ſorde tacenda mihi.
Quod dum flens recolo, mundi mala proſpicioq;,
Quis ſit? quis fuerit? quis ſtatus orbis erit?
Ignis ut â facie ſubitò nova cera liqueſcit,
Ex ſolis radio nix glacieſque fluunt:

Sic ego deficio, ſic defluo, ſicque revolvor,
Totus & in lacrimas fontis ad inſtar eo.
Quarum præcipua, quarum præmaxima cauſa
Curia Romana, quæ modò vadit ita.
Quæ Regum Domina, quæ Regnantum diadema,
Quæ decus atque decor urbis & orbis erat.
Quæ ſolis radius, noctis carbunculus ardens,
Malleus erroris, pœna parata malis:
Juſtitiæ gladius, oleum pietatis abundans,
Larga manus inopis, dextra referta bonis:
Flos novus, & nullo marceſcens temporis æſtu,
Fons ſine defectu, balſama larga fluens:
Religionis obex, pacis concordia, morum
Gloria, fax fidei, regula recta boni:
Vexillum patriæ, ſed & omnibus, ordine ſancto,
Debuit eſſe caput, ſicut origo fuit.
Sed converſa retrò rediit, fideique pudoris
Immemor, in caudam fecit abire caput.
Si caput â capio, vel dixeris â capiendo,
Tunc eſt ipſa caput, omnia namque capit.
Sic declinando, capio, capis: ad capiendum
Retia laxavit, retia longa nimis.
Quod de præterito cœpi formare futurum
Non valet ad præſens, nec videt unde locum.
Quondam larga fui proprii, nec avara, cruoris,
Fundere conſuevit ſeque ſuumque ſuis.
Nunc vice converſâ faciens ſitit, atque cruorem
Fundit & alterius, et bibit ipſa ſuum.
Sic cauſam mortis, quæ debuit eſſe ſalutis,
Fecit, & in populo prodiga, fudit eum.
Vaſaque commutans, ex hoc transfudit in illis,
Sub mellis ſpecie pocula felle luit.
Ipſa tamen ſemper in ſe ſitibunda manebit,
Cumque bibat ſemper, ſemper avara ſitit.

Cujus in os patulũ, quamvis foret æs mare magnũ,
Influeretque ſimul, non ſatiaret eam.
De baratro ventris nequeunt extingevre cujus
Fercula nulla famem, pocula nulla ſitim.
Væ! cui nil ſatis eſt, & quem ſua reddit egenum
Copia, nec totus ſufficit orbis ei.
Suſtinet æris egens, quicquid precatur avarum,
Quicquid delirant cœtera, burſa luet.
Burſa referta reos ſolvit, peccata relaxat,
Quæ non peccantes evacuata ligat.
Nil tam difficile, nil tam grave, nil ita pravum,
Quòd non emendat burſa, referta bene.
Hæc facit, ut licitè fiat, quodcunque libebit,
Reddit & illicitum, quod licet, arte pari.
Cum ſua non mundet, aliorum crimina mundat,
Cernere quæ propria vulnera ſola nequit.
Sic dolor in capite, facit omnia membra dolere.
Toxicat & modicum dolia magna virus.
Sic ovis una gregem totum maculando reſpergit,
Et trahit ex modico maxima maſſa luem.
Sic ſapit ex fonte, quamvis procul inde remotus
Rivus, & ex igne fumus odoris habet.
Ex morbo capitis, artus traxére dolorem,
Peccatumque patris plangit origo ſequens.
Virtutum quondam decus & decor, in vitiorum
Eſt converſa caput, quæ caput orbis erat.
Non mihi ſufficiens longævi Neſtoris ætas,
Singula ſi memorem, quæ memoranda forent.

De regibus etiam narrat.

Rurſum ſi mores Regum, vitamque revolvam,
Quid, niſi majoris cauſa doloris, erit?
Quorum vita dolor, quorum dominatio dura,
Quorum verba, velut ventus, & aura levis.

Cumq;

Cumque creatus homo ſit ad inſtar imaginis ejus,
Qui dedit ex nihilo cuncta creata fore;
Pluris habent homines reges animantia terræ,
Et genus humanum vilius eſſe putant.
In cruce ſuſpendi pro ſumptâ carne ferarum,
Quàm plures faciant ſæpè dolore gravi.
Quid gravius Siculi poſſent ſtatuiſſe Tyranni,
Quàm pro morte feræ quod moriatur homo?
Qui ſic regna regunt, qui ſic ſine remige regnant,
Vix Regum tantùm nomina ſola tenent.
Quamvis regna ſua ſibi ſunt ſubjecta, tributa
Dent populi, trepidet terra timore ſuo.
Non tamen hi regnant, quoniam regnare, timeri
Non eſt, aut durâ lege ligare ſuos.
Quos non rectores, ſed raptores bene dici
Conſtat, & ex facto nomen habere ſuo.
Quorum nulla fides, & qui confidit in ipſis,
Errat, & arbitrio deſipit ipſe meo.
Quorum fictus amor, quorum via nulla fidelis,
Quorum lingva dolor, plena cruore manus.
Munera reſpiciunt, quæ dum venerantur, abeſſe
Juſtitiam faciunt, judiciumque procul.
Quicquid enim faciunt, vel dicunt, vel meditantur,
Si bene diſcutias, omnia munus alunt.
Quod, nî præcedat, comitetur, ſive ſequatur,
Ac vaccam vitulus, non procul, immò propè.
Nil habitus, nil ordo tibi, nec opinio vitæ,
Quilibet aut titulus pluſve minuſve dabit.
Munera conturbant Reges, rurſusque reformant,
Munera dant pacem, munera bella parant.
Munera Pontifices ſubvertunt, munera Reges,
Munera jus ſtatuunt, deſtituuntq; ſimul.
Munera ſtultorum lingvas dant eſſe diſertas,
Munera dum clamant, cœtera quæq; tacent.

Munera pervertunt leges, decreta refellunt,
Evacuant patrum jura rigore ſuo.
Munera palpari faciunt delicta potentum,
Utque magis vigeant, facta nefanda tegunt.
Munera, ſed taceo, ne fortè tacenda revelem,
In manibus ſanctis eſſe reperta ſolent.
Munera declarant, quidnam meditentur avari,
Quidve velit fieri mens maculoſa Viri.
Munera quid valeant, ſedes paſtore vacantes,
Credere ſi fas eſt, ſæpe docere ſolent.
Munera dulce malum, virus ſanabile ſanis
Mentibus, ægrotis mortis imago recens.
Munera ſemper habent aliquid portantia ſecum,
Veri quod cives ore tacente gemunt.
Munera judicii libram moderantur, & ipſam
Protinùs inflectunt, quò data penſa trahunt.
Munera mortifero dant pocula plena veneno,
Excæcant oculos, præcipitantque gradus.
Omnia vincit amor, ſed amorem munera vincunt,
Quod ſi quis dubitet, ponderet hæc & ea.
Munera corrumpunt mores, pariuntq; recepta
Damna pudicitiæ dona cupita precis.
Munera Pontifices extollunt, Munera Reges,
Munera dant apices, exhilarantque Duces.
Munera ſuffodiunt turres, monteſq; coæquant
Vallibus, & pariunt abſque cruore necem.
Munera præcedunt, quoties mala multa ſequun-
Munera cum veniunt, proxima cauſa ſubeſt. (tur,
Munera ſi ceſſent, ceſſabunt jurgia, lites,
Mars cadit, & Veneris nullus amicus erit.
Munera ſi ceſſent, ſine ſangvine tempore pacis,
Quod nunquam potuit, Roma ſubacta ruet.
Munera ſi ceſſent, Primatum Pallia multò
Conſtabunt levius, & meliore foro.

Mu-

Munera ſi ceſſent, Abbatum cornua longa,
Ponderis & precii jure minoris erunt.
Munera ſi ceſſent, Regis revocatus ab aulâ
Monachus, in clauſtro limina ſacra teret.
Munera ſi ceſſent. grex cum paſtore quieſcit,
Junctus & amborum ſpiritus unus erit.
Munera ſi ceſſent, Deus in cellas Cluniaci
Fortè revertetur, & remanebit ibi.
Munera ſi ceſſent, Judam cum Simone clerus
Tollet, & ê medio coget abire ſui.
In quorum manibus crebrò tractantur iniqua,
Dextera muneribus eſſe referta ſolet.
Munera ſi ceſſent, miſeris mortalibus ultra
Clamor, nec luctus, nec dolor ullus erit.
Munera ſi ceſſent, pariter cum Simone Judas
Decidet, & loculos perdet uterque ſuos.
Munera ſubverſo faciunt de Rege Tyrannum,
Convertuntque ſuas in ſua membra manus.
Plebs ſine doctrinâ, populus ſine lege, cruentus
Moribus, accelerat pronus in omne nefas.
Gens gravis, eſuriens carnem, ſitiensq; cruorem,
Armat inarmatas ad ſcelus omne manus.
Ille timor Domini, Reges qui terruit olim,
Et populos, periit nomine, reque ſimul.
Quid demum loqueris? Deus eſt poſt terga relictus,
Non opus eſt alio: ſit tibi quiſque Deus.
Regis ad exemplum populus laſcivit ineptus,
Vervecisque pedes ſors facit una pares.
Ecce! tot & tantas patiuntur ſecula ſtrages,
Poſteriorque dies deteriora parat.
Nec ſupereſt, redimat, neque qui ſalvos faciat nos;
Sed ſperata ſalus funditùs omnis abeſt.

De

De Pontificibus et Paſtoribus malis.

Non alios igitur ſuper his, niſi temporis hujus
 Pontifices ſacros auguror eſſe reos.
Qui ſe Paſtores, legemque tenere fatentur,
 Nec tamen hæc faciunt, quæ facienda docent.
Qui potiùs fures, quam paſtores vocitari
 Teſte Deo debent, de quibus illud ait:
Advenient multi pſeudes, falſique prophetæ,
 Et ſatagent multos fallere fraude ſuâ.
Qui, quamvis veniunt ovium ſub veſte, rapaces
 Sangvinis, hos avidos noveris eſſe lupos.
A poſcendo gregem, non â paſcendo, merentur
 Paſtores ovium nomen habere ſuum.
Nomen, ab officio ſumptum, vertére ſeorſum,
 Ut non paſtores ſint gregis, immò lupi.
Tres ſunt præcipuè, propè qui verſantur ovile,
 Quorum quisque gregi proximus eſſe ſtudet.
Primus enim paſtor, eſt mercenarius alter,
 Tertius inſidians, dicitur eſſe lupus.
Primus oves gratis paſcit, mercede ſecundus,
 Tertius, ut perdat, diripiatque gregem.
Paſtores igitur, quia gratis nulla miniſtrant,
 Nil ſibi cum primo proprietatis habent.
Et quoniam paſcunt mercedis amore, ſecundò,
 Officio ſimiles, ſors facit eſſe pares.
Nil ſibi cum primo, ſed habent conjuncta ſecundo
 Plurima, de reliquo quæſtio nulla manet.
Ergò, lupis ſimiles, comedunt cũ ſangvine carnes,
 Matris & ex utero viſcera rupta vorant.
More lupi, veniunt paſtores temporis hujus,
 Morte gregem primùm perdere quisque ſuum.

Quodq;

Digitized by Google

Quodq́; vidēt fragile, frangūt, quod debile ſpernūt
  Quod craſſum, comedūt, quod vile, deſpiciunt.
Lac gregis, & lanam norunt miſcere, ſubactas
  Undique diſperſas depopulantur oves.
Nec ſatis iſtud eis, quod deprædentur ovile,
  Diſperguntq́ue greges, diripiuntq́ue ſibi.
Sic niſi quod ſitiunt calidum ſorbere cruorem,
  Inq́ue gregis jugulum mittere poſſe manum.
Qualiter introeant paſtores temporis hujus,
  In caulas ovium, quo duce, quâq́ue viâ?
Ingreſſi, quid agant? & quam ſtudioſè miniſtrent
  In grege ſuſpecto non, mihi crede, foro?
Paſtorum vitam ſi diſcutiamus ad ungvem,
  Plurima quæ faciunt, plena ruboris erunt.
In ſpeculo poſiti, quò circumquaque videri,
  Se quæ videre valent, lumina clauſa tenent.
Sangvinis & carnis curam non deſpicientes,
  Solliciti curant ſeque ſuoſq́ue ſimul.
Quem ſibi præcipuè deberent præpoſuiſſe,
  Vix valet extremo delituiſſe loco.
Uritur, alget, eget, ſitit, eſurit, ulcere plenus,
  Quis dedit, unde ſuam quit relevare famem?
Præſulis ad menſam tot fercula, totq́ue ferentes,
  Veſtibus ornati, tot ſine lege ſcyphi.
Totq́; domus, domini tot cani quaq́; miniſtri,
  Tot ſtantes pueri, totq́; meando vagi.
Tot juvenes compti, variiſq́ue modis redimiti,
  Totq́ue ſenes, docti geſta priora loqui.
Et quaſi caſtrorum Regum, ſtatione ſolutâ,
  Diſcurrunt acies, corpore, mente, leves.
Cumq́; bibit Dominus, quidam ſua brachia tendit,
  Atq́;, genu flexo, pronus adorat eum.
Spendida tota domus, duplici radiante metallo,
  In quibus offertur hoſtia ſacra Deo.

Sed

Sed quæ Pontificis ſunt uſibus appropriata,
Non ſunt de vili materiâq; rudi.
Non norunt rectè, partiri qui ſtatuerunt
Aurea Pontifici, ſtannea vaſa Deo.
Præſul in argento totus diſcumbit, & auro,
Vix quoq; fictilibus utitur aula Dei.
Eccleſias laceras, altaria nuda, cruceſq;,
Extractis ſpoliis, ſtare videre potes.
Splendida Pontificis ſublimibus aula columnis,
Intùs & exteriùs marmore fulta, nitet.
Tot ſunt Pontifici Tunicæ, tot Pallia, Cappæ,
Ipſe quot ignorat, nec numerare queat.
Præſulis ê digitis gemmarum pendet & auri,
Septem divitibus quod ſatis eſſet opum.
Præſul amat marcam plùs quàm diſtinguere Marcū,
Plus & amat lucrum, quàm facit ipſe Lucam.
Sic hodie, ſic cras, ſibi credita, non data certè
Diſpenſat, Domino diſſimulante diu.
Qualiter, atq; quibus curam credunt animarum,
Quod magis eſt aliis omnibus eſſe patet.
Ante puer patrem primùm, matremq; vocare
Quàm ſciat, aut poſſit ſtare, vel ire pedes;
Suscipit Eccleſiæ claves, animaſq; regendas,
In cunis poſitus dummodò vagit adhuc.
Quid dicet Petrus, cum me Robekinus ad aſtra
Aut Vuilkinus aget, duxq; comeſque meus.
Petro, non puero, claves Deus Eccleſiarum
Tradidit, atq; dedit, juſſit habere vices.
In manibus, Domine, Vuilkini vel Robekini
Non me tradideris, ſit tibi cura mei!
Sed neq; me tradam, quāvis mihi fortè, quod abſit,
Præſul vim faciat, exagitetq; diu.
Triſtis ob hanc cauſam prius appellabo Petrumq;,
Ejus & hæredem ſolus adibo pedes.

Cum

Cum nutrice ſuâ Romam Robekinus adibit,
Quem nova ſive vetus ſportula tecta feret.
Miſſus & in peram, veniet Vuilhelmus in urbem
Curia Romana tota videbit eum.
Nec vacuis manibus aderunt, nec ventre ſoluto
Sed quaſi parturiens, & propè tempus agens.
Accedent propiùs, venientq; videre ſepulchrum
Quod ſemper vacuum permanet, atque capax.
Quod dêeſt ætati, tenerè ſupplebit eorum
Gratia, conſortes quos habuére viæ.
Præſtabunt annos pater & pædagogus eiſdem,
Quotquot opus fuerit, ſi tamen eſſet opus.
Qui dedit Eccleſias, nunquid non contulit annos,
Et mores, quales talibus eſſe decet?
A ſimili reliquum potuit, qui contulit unum,
Jure pari licuit illud & illud ei.
Impubes pueros, paſtores Eccleſiarum
Vidimus effectos, Pontificesve ſacros.
Sic dixit quidam de quodam pontificando,
Cum princeps Regni ſollicitaret eum.
Eſt puer, & nondum diſcernere poſſumus, utrùm
Fœmina vel mas ſit? & modò Præſul erit?
Talibus eſt hodie cleri populique poteſtas,
Atque domus Domini cura regenda data.
Talibus Eccleſia Chriſti ſuffulta columnis,
Decidet, ante ſuam præjugulata diem.

De inanibus et vanis Præsulum actionibus.

Si quæras, quid agat feſtinus Præſul in urbe?
Asſumptis canibus in nemus ire parat:

Aut

Aut ut aves avibus capiat, vel piſcibus hamum
Mittat, ut eſocem nunc trahat, inde lupum.
Ardea viſa fuit fluviali proxima ripæ,
Jactet ut accipitrem, Præſul ab urbe ruet.
Silvarum ſaltus plus, quàm loca ſacra frequentat,
Latratusque canum canone pluris habet.
Plus, cane percuſſo, dolet anxius, aut ave læsâ,
Quam ſi decedat clericus unus ei.
Sæpe dies tota cauſis cedet ſine causâ,
Officiisque ſacris ſufficit hora brevis.
Litibus impenſa brevis eſt, quamvis mora longa,
Moxque quod eſt Domini, tædia magna parit.
Arctiùs inſiſtit lepori canis ira, quietus
Donec & officium compleat ille ſuum:
Quàm ſua perſolvant, dum temp⁹ & hora requirit,
Pontifices noſtri debita penſa Deo.
Qui ſi pro Domino paterentur, quod patiuntur
Propter res viles, deliciasque breves.
Nullus eos dubitet vivos, in carne manentes,
Eſſe Dei ſanctos, martyribusque pares.
Nec tamen iſta pati pudet hos, quos penitùs horſi
Quamvis ſæpè gravat ſuſtinuiſſe jugum.
Nam Deus illorum, pro quo patiuntur ad horam,
Hæc mala pro meritis præmia digna dabit.

Brunellus iterum narrat Galieno de Abbatibus, Prioribus et Conventualibus.

QUodque magis miror, Abbates atque Priores
Conventusq; ſacer, quos ſuus ordo ligat,
Canone poſthabito, quem ſunt ſervare profeſſi,
Quemque patres ſancti conſtituére ſibi:

Ecce

Ecce retrò redeunt, ſorbentq; quod evomuerunt,
Ut canis ad vomitum, ſusque reverſa lutum.
Exteriùs faciem prætendunt Relligionis,
Interiusque gerunt pectora plena dolo.
Qui, duce Bernardo, gradiuntur, vel Benedicto,
Aut Auguſtino, ſub leviore jugo:
Omnes ſunt fures, quocunque charactere ſancto
Signati veniant, magnificentque Deum.
Ne credas verbis, nec credas veſtibus albis,
Vix etenim fratribus eſt adhibenda fides.
Quorum vox læta, vox Jacob creditur eſſe,
Cœtera ſunt Eſau brachia, colla, manus.
Rurſus in Ægyptum, quam deſeruére, reverſi,
Dulce ſibi reputant, â Pharaone premi.
Carnis ad illecebras, nullo retinente, ruentes,
In foveam mortis, carne trahente, ruunt.
Invidiæ ſtimulis vexantur, & ambitionis
Æſtibus asſiduis, præcipueque tribus.
Primus ut aſcendant labor eſt, ſequiturque parentũ
Indiſcretus amor, cura quiete carens.
Hâc omnes ardent, hâc omnes febre laborant,
Hæc tenet imperium, poſtpoſitura Deum.
Hinc, ut opes habeant, ſummâ virtute laborant,
Posſideantque, brevi tempore parta, diu.

De religiosis in generali.

Olim paupertas, rebusque carere caducis,
Relligioſorum gloria magna fuit.
Nunc niſi posſideant, animarum damna ſuarum,
Res & opes magnas, paſcua, prata, greges:
Eſſe putant miſeri, quia mundo pauper haberi,
Inter eos hodie creditur eſſe nefas.
Pauper erat Chriſtus, quem ſic imitando ſequũtur,
Pauperis ut ſine re nomen habere queant.

Sicque volunt dici, quod nolunt eſſe, putantes,
Omnia cernentem fallere poſſe Deum.
Omnibus abjectis inopis veſtigia Chriſti,
Verbis, non factis, ſe ſtatuére ſequi.
Spreverunt mundum, ſed tali conditione,
Ut ſemel abjecta, ſemper adeſſe queant.
Ne quid eis deſit, ſpreverunt omnia, felix,
Quisquis, ut ipſe metat plurima, pauca ſeret.
Cum lupus ex habitu non eſt ſuſpectus ovili,
Dentis ab effectu, quo teneatur, habet.
Simpliciter graditur vulpes, vultuque modeſto,
Et nihil in facie ſuſpicionis habet:
Corde ſed aſtulo vincens animalia multa,
Semper in inſidiis tota doloſa manet.
Quò magis aſcendit, cœlo vicinior alto
Accipiter, prædam fortiùs inde capit.
Fortior ut feriat aries, retrocedit, et ictus
Suſcipit obſtipo vertice, datque ſimul.
Sic faciunt hodie, quos mundus relligioſos
Æſtimat, & ſanctos prædicat eſſe viros.
De quibus ad præſens, quâvis mihi multa ſuperſint,
Plura loqui timeo, ne reprehendar ego.

BRUNELLUS DE LAICIS, SICUT didicit ſub ilice ab avium garritu, locum & tempus deſignans.

SEd quid de Laicis dicam? Si publica quædam
Dixero, quæ didici, publicus hoſtis ero.
Nuper cum profugus fugerem feſtinus ab urbe,
Bernardum fugiens, verbera ſæva timens;
Abdita quærebam loca, quæ non poſſet adire
Ille meus dominus, ruſticus ille miſer.
Qui me quærebat per devia quæque locorum,
Cum canibus multis multa minando mihi.

Jura-

Digitized by Google

Juravitque ſatis, quod ſi poſſem reperiri,
Illud iter luerem tempus in omne meum.
Quodq; fugam dorſo mihi ſcriberet eſſe legēdam,
Taliter, ut nunquam non meminiſſe foret.
Me quoque ſtertentem lætus quandoq; putabat
Admotâ propiùs prendere poſſe manu.
Sed celer exiliens, Bernardum ponè ſequentem
Ridebam dominum, conſcius ipſe, meum.
Sæpè ſupinatum per poſteriora coëgi,
Calceque percuſſum ſternere more meo.
Æſtus erat, laſſusque fui, voluique ſub umbrâ
Ilicis, optato membra fovere toro.
Carmina, quæ nuper me compoſuiſſe videbar,
Scribere conabor tutus ab hoſte meo.
Et locus & tempus, ſtudio nimis apta, volentem
Scribere cogebant improbitate ſuâ.
Venter erat plenus, pes laſſus, pagina prompta,
Exceptura novâ carmina digna notâ.
Cumq; manus calamum, ferrumq; teneret acutũ,
Acciperetque novos pellis ovina tonos.
Neſcio, quem propè ſub ramis ilicis altæ
Audio garritum, percipioque ſonum.
Nec mora tanta, locũ volucrũ vaga turba replevit,
Silva quod, ampla priùs, tunc tamen arcta foret.
Intonat omne nemus, volucrum diſperſa per auras
Vox abit in cœlum, concutiendo ſolum.
Ipſe mihi timui, cœpique timendo coactus
Dicere: Quid ſibi vult hoc novitatis opus?
Terreor aſpectu: Nec mirum; tum quia notus
Non erat ille locus, tum quia ſolus eram.
Auribus erectis, & fixo corpore toto
Proſtratus jacui, murmuris abſque ſono.
Pectora tundebam tacitus, veniamque precabar
Voto, non verbo, ſupplice corde meo.

Penè timore gravi ventrem ſine ventre reſolvi,
Contigit, & dubito, ne ſit, & an ſit ita?
Namque graves venti, tempeſtatesque moroſæ,
Imbribus exiguis, conticuére ſimul.
Agminis in medio, totâ reticente catervâ,
Surrexit ſolus corvus, adorſus ita.

INTRODUCIT BRUNELLUS PRIMO narrationem Corvi, de qualitate Conſiliariorum.

Dilecti fratres, Dominique mei ſpeciales,
Si placet, audite me, quia pauca loquar.
Non quia ſim melior vobis, vel ſanctior unus,
Utpote de vili cespite natus ego:
Vel quia plus ſapiam, cum ſit ſapientia prima,
Teſte David magno, verè timere Deum.
Sed quia ſum major natu, ſenioribus iſtis
Omnibus, annorum tempore teſte mihi.
Me Noë ſeptennem prudens induxit in arcam,
Cum tegeret montes altior unda fluens.
Poſtea fluxerunt quamplurima ſecula nobis,
Pluribus ignota ſecula, valdè bona.
Quorum dum recolo, nec non tacitusq; recordor,
Quàm bona tunc fuerint, quamq; referta bonis!
Horum reſpectu, quæ ſint modò, triſtis & amens;
Tempora feſtinæ mortis adeſſe reor.
Namque ſeneſcentis mundi decus omne receſſit,
Et ſua quæque ſuum deſeruére ſtatum.
Sidera, terra, mare, ſolito privata tenore,
Legibus antiquis dedidicére regi.
Et ſi præterita præſentibus annumeremus,
Nulla cohærebunt corpori membra ſuo.
Ordine tranſpoſito variantur ſecula quæque,
Alter & eſt hodie, quàm fuit orbis heri.

Con-

Digitized by Google

Contra naturam rerum, natura miniſtrat,
Deſerit & curſum noxque diesque ſuum.
Hinc homines morbi perimunt, animalia peſtes,
Hinc quoque langvore præmoriuntur aves.
In promptu cauſa eſt, quoniã peccavimus omnes,
Nec ſupereſt, qui ſe judicet eſſe reum.
Omnes ſunt juſti, nullus peccavit iniquè,
Nil ego commiſi, tu nihil, ille nihil.
Non ego guſtavi; cuncti dixére miniſtri:
Et tamen abſorptum conſtitit eſſe canem.
Eſto; quod apponat aliquis ſua crimina flere,
Et de commiſſis pœnituiſſe velit.
Pectore contrito ſtatuat ſua facta fateri
Crimina cum lacrimis, cumq; dolore gravi.
Cui ſua ſecurè poterit ſecreta fateri
Omnibus ex nobis? neſcio, crede mihi.
Mille mihi fratres numeres, totidemq; ſorores,
Mille ſed & matres ſint mihi, totque patres;
Omnibus ex illis ſecreti conſcius unus,
Unicus, atque meus conſiliator erit.
Dixero ſi corvo corvus, mea crimina dicet:
Cornici cornix per fora cuncta canet.
Si me prodidero gallo, gallina, quod abſit,
Prodigium pullis me dabit eſſe ſuis.
Mors mihi, ſi taceo, mors eſt, ſi dixero quicquam:
Me duo dura premunt, hinc timor, inde pudor.
Lingva Sacerdotum quoniam ſecreta revelat,
Factus ſecreti conſcius ipſe tui.
Qui cadit in gladio, ſemel eſt plangendus, & ille
Tempore perpetuo, qvem ſua lingva necat.
Vos igitur, qui vel facitis, fierique videtis
Plurima, quæ non ſunt enumeranda modò.
Quid cui dicatis, ne poſtea pœniteatis,
Quique per exemplum diſcite, quæſo, meum.

Digitized by Google

Qui ſciat, atque velit crebrò relevare cadentem,
Et magis afflictos exhilarare magis.
Qui mox quaſſatum calamum non conterat, immò
Alliget, & ſanet ſuſtineatque diu.
Qui graviter lapſis ignoſcens compatiatur,
Sæpè reformidet talia poſſe pati.
Qui ſemper fragilis quàm ſit caro, præmeditetur,
Et levis ad lapſum conditione gravi.
Qui graviter læſus non exardeſcat in iram,
Nec mox vindictam poſcat ab hoſte ſuo.
Sed pius & patiens omnem prius ipſe remittat
Criminis offenſam, quàm roget alter eum.
Qui ſibi ſufficiens, nec opũ cupidus, nec honoris,
Reſpuat oblata proprietate carens.
Quem nec amor mundi vexet, nec cauſa parentũ,
Vel data ſupplantent munera, dulce malum.
Qui nec amet, vel agat, quod quis juſtè reprehen-
Cui ſit idem, ſecum vivere, quod, ſine ſe. (dit,
Si fuerit talis tantusque repertus in orbe
Confeſſor, fateor, cuncta fatebor ei.
Exemplum vobis ego ſum, cui garrula quondam
Lingva fuit damno, teſte colore meo.
Dum tacui, dilectus eram, ſed prodiga lingva
Reddidit exoſum; Væ tibi, lingva loquax!
O quàm dives eram! multisque beatus amicis!
Donec ſubripuit me mea lingva mihi.
Felix, ſi ſtatuâ Martis taciturnior eſſem,
Manſiſſetque mihi, qui fuit ante, color.
Quod ſemel amiſi, longum damnatur in ævum:
Lugeo perpetuo tempore triſtis ego.
Gratia, fama, decor, mihi ſunt ſublata loquenti,
Surripuit totum lingva diſerta, minus.
Lingva loquax nocuit, fateor, quia, ſi tacuiſſem,
Cuncta remanſiſſent inſita dona priùs.

In-

Digitized by Google

Inter aves omnes formoſior unus habebar,
Et magis acceptus omnibus unus eram.
Vox mea, clara priùs, miſero vix rauca remanſit,
Criminis admiſſi teſtis & ipſa mei.
Perpetuaque foret mea gloria, ſi tacuiſſem,
Sed quia non tacui, tota repentè ruit.
Unde, mei memores, lingvam cohibete loquacẽ,
Ne jugulet dominum, prodiga facta, ſuum.
Pauca loquar, ſalvâ Dominorum pace meorum,
Vera tamen, veris ſi licet eſſe locum.
Non eſt mirandum, quamvis adverſa frequenter
Nobis contingunt, & mala plura premunt.
Nos ſumus in causâ, ſi cauſam quærimus, ipſi
Cur tot in adverſis deficiamus ita?
Nos ſata deſtruimus, nos ſemina diripientes
Tollimus, & plenos depopulamur agros.
Ne faciant fructum, flores, mox arbore natos
Ungvibus & roſtris dilaceramus eos.
Cædibus aſſiduis inſiſtimus, atque rapinis,
Ad bona difficiles, luxurioſa cohors.
Æſtimat excusſam tutè ſe depoſuiſſe
Ruſticus annonam, poſte tenente ſeram.
Sed gallus veniens, totâ comitante ſequelâ,
Quantumcunque placet, tollit, & inde fugit.
Nec ſatis eſt, ſumpſiſſe ſatis, totam niſi maſſam
Diſpergat pedibus per loca cuncta domûs.
Niſus & accipiter, poſtquam fuerit bene paſtus,
Avolat, & dominum ſpernit adire ſuum.
Nec pueri lacrimas, ſeſe revocantis, & illi
Brachia tendentis, reſpuit atque fugit.
Quâ totiens paſtus, totiens portatus, amicam
Spernit ut hoſtilem, captus ab hoſte, manum.
Certa licet quamvis objecta pericula mortis
Immineant pueris, non miſerentur eis.

Cumque ſequuntur eos per devia quæq; locorum,
Sæpè quidem ſilvis, ſæpè necantur aquis.
Sic bene pro meritis noſtros veneramur amicos,
Reddimus atque bonâ pro vice ſæpè mala.
Pſittacus, in thalamum Domino redeunte, puellas
Prodit, & illarum verba tacenda refert.
Quæ fuerant ſecum tacitè timideque locutæ,
Antris, & tutis, & ſine teſte locis.
Neſcius ille quidem, ſed neſcius immò tacere,
Profert, plus æquo Pſittacus oris habens.
Hinc avibus crebrò miſcent aconita puellæ;
Diſcunt antè mori, quàm didicére loqui.
Sunt & aves aliæ, quæ toto tempore vitæ
Relligioſorum Clauſtra beata colunt.
Quæ quot eis faciunt diſcrimina ſæpè per annum,
Non ego ſufficio dinumerare modò.
Hinc eſt, quod populus odio nos odit iniquo,
Reddit & exactam pro vice ſæpè vicem.
Hinc eſt, cottidiè quod nobis inſidiantur,
Tollit & ê medio nos inimica manus.
Hinc laqueos ponunt nobis, hinc retia tendunt,
Hinc lapis, inde parit miſſa ſattiga necem.
Hinc inviſcatis pedibus retinentur & alis:
Fallimur & dulci ſæpè tonante tono.
Iſta, nec immeritò, patimur, luimusq; coacti
Plurima, quæ gratis facta fuiſſe liquet.

Narratio Galli.

TAlia dicenti Gallus reſpondit: Amice,
Pone modum verbis: ſunt ſatis iſta, tace.
Sunt diſcreta minùs tua verba, minusq; diſerta,
Nec ſapit in noſtro pectore ſermo tuus.
In ſermone tuo nimis es diffuſus, abundans
Verbis, non ſenſu; quod ſolet eſſe ſenum.

Olim

Olim lingva tibi damnoſa fuiſſe refertur,
Sed nec adhuc quicquam profuit illa tibi.
Plurima vidiſti, velut is, qui tempore longo
Vixit, & inſpexit ſecula multa retrò.
Unde nec eſt mirum, ſi jam delira ſenectus
Errat, & exiſtat mens ratione carens.
In ſene decreſcunt ſemper, creſcentibus annis,
Hinc mentis ratio, corporis inde vigor.
In ſene deliro ſenſus patiuntur eclipſin,
Quem conſtat caſu, non ratione, regi.
Turbato crebrò, turbantur & omnia membra.
Deficiuntque ſibi lumina, lingva, manus.
Hinc eſt, quod ſceleris nos arguis, & reprehendis,
Tanquam ſis ſolus juſtus, & abſque notâ.
Juſtus es, & certè toto ſpectabilis orbe,
Quodque ſatis ſine me prædicat arca Noë.
Nonne reverſurum Noë te dimiſit ab arcâ?
Quæ te detinuit cauſa, cadaver erat.
Te gula, te venter, te vicit inepta voluptas,
Proderes ut dominum, perfidus ipſe, tuum.
Si vitam, mores, actusque tuos bene penſas,
In toto mundo par tibi nullus erit.
A teneris annis didiciſti perfidus eſſe,
Non potes illud adhuc deſeruiſſe ſenex.
Ventris ob ingluviem, vilemque cadaveris eſcam,
A puero conſtat te violaſſe fidem.
Nam bene pro meritis dominum malè deſeruiſti,
Tempore, quo fuerat deſeruiſſe nefas.
Contraherent de te maculam ne cœtera quæque,
Perfidus exiſti, non rediturus item.
O quam diſſimilis tibi ſum, quantumq; repugnant
Moribus & factis omnia noſtra tuis!
Nactus enim dominum quemcunq;, fidelis eidem
Tempore perpetuo ſervio, ſervo fidem.

Digitized by Google

Perveniunt etiam per me nonnulla perannum
Commoda, pauperibus divitibusque ſimul.
Per me pluma datur, quâ feſſa labore diurno,
Ut vires reparent, molliter oſſa cubant.
Per me præcipuè medicorum cura juvatur,
Et datur infirmis delicioſa caro.
Pingvis & Eunuchus, noſtrâ de ſtirpe creatus,
Fortibus & ſanis fortior eſca datur.
Tempore nocturno vigili vigilantior omni
Horarum noto tempora, voce meâ.
Ipſe pigros pueros, nec ſurgere mane volentes
Excito, nec patior incaluiſſe toro.
Et per quam pingves pulli procreantur & ova.
De lumbis noſtris cœpit origo prior.
Plura ſed & per me conſtant collata fuiſſe
Commoda, quæ non ſunt enumeranda modò.
Non tamen ingratus, vel inofficioſus, eisdem,
Quos mihi ſors dominos contulit, eſſe volo.
Namque malignari ſi vellem, ſiq; quod abſit,
Neſcirem labiis ponere frœna meis.
Multi de medio fierent, dignasque ſubirent
Pœnas, pro meritis, carceris atque crucis.
Nocte ſub obſcurâ quæ fiunt multa nefanda,
Et quæ nocte nigrâ ſint mihi nota ſatis.
Quid faciat dominus? quid dicat ſervus iniquus?
Si fora noviſſent omnia, ſicut ego:
Sæpè viros multos, multas etiam mulieres
In cruce ſuſpenſos mane videre foret.
Ruſticus uxori tacitus quid dicit in aurem,
Ipſe licet nolit, me latuiſſe nequit.
Dii nolunt! quod me contingit lædere quenquam,
Vel ſcelus alterius prodere voce meâ.
Abſit, ut aſſimiler corvo, qui prodidit illum,
Qui ſibi præcipuè cauſa ſalutis erat.

Ju-

Juppiter antè, precor, in me ſua fulmina mittat!
Devoret & terra meque genusque meum!
Me priùs unda maris abſorbeat, inque profundum
Gurgitis inferni præcipitatus eam.
Quàm commiſſa mihi, quamvis ſecreta, revelem,
Exeat aut ſermo pravus ab ore meo.
Cum quibus eſt vita, cuivis communis, habenda,
Hos niſi commendet, laudet, honoret, amet;
Deſipit, & ſtatuæ ſimilis, quamvis ſine ſenſu
Corporis humani, ſenſile corpus habet.
Hic meus eſt animus hæc eſt ſententia vera,
Hæc pro me ſolo dixero ſolus ego.
Niſus & accipiter pro ſe, reliquisque loquantur,
Qui ſatis ætatis, vocis, & oris habent.
Ruricolis ſubici mea me fortuna coëgit,
Et procul à Regum juſſit abeſſe domo.
Huc niſi vim paſſus venio, delatus in aulam,
Interſum Regum conſiliisque Ducum.
His loca ſecreta ſtrepituq; carentia vulgi,
Et procul à turbis incoluiſſe datur.
Principis in thalamo poſiti ſtatuuntur in alto,
Ut de ſublimi multa videre queant.
Angulus extremus thalami locus, aptus agendis
Rebus, in occultis intitulatur eis.
Illic conſilia crebrò capiuntur iniqua,
Illic tentari peſſima ſæpè ſolent.
Gratior interdum pueris ſimul atq; puellis
Angulus eſt aurâ, nox tenebroſa die.
Hìc ſolet abſcondi fructum, quod, ventre ſoluto
Egrediens, tempus vim tulit ante ſuum.
Hìc quoque conſuevit fieri confeſſio, nulli
Facta ſacerdotum, nec facienda reor.
Hìc aconita latent, longo quæſita labore,
Hicq; novercarum carmina dira vigent.

Ut

Ut puer ancipitem veniens de nocte profunda
Viſitet infirmum, poſtulat ille locus.
Hic locus aſtmaticos ſanat, curatque caducos,
Et facit in noctem ſæpè venire diem.
Hæc igitur loca ſunt, quibus eſt odioſa lucerna,
Et vitii titulo præmia laudis habent.
Niſus & accipiter, loca, quæ malefacta ſequantur,
Rem bene noverunt, quæ ſit, & unde loquor?
Hi duo præcipuè, ſi vellent dicere verum,
Mira quidem poſſent dicere, vera tamen.

Hic Brunellus denique Niſum introducit, loquentem etiam de fideli Conſiliario.

TAlibus auditis, Niſus reſpondet: Iniquum
Arbitror, officium deſeruiſſe ſuum.
Nos ſumus ingenui, generoſo ſchemate nati,
Non decet os noſtrum, turpia verba loqui.
Quicquid agunt pueri, nobis patientia facti
Tempore perpetuo quod ſit habenda, puto.
Si ludunt pueri, cum non lædamur ab ipſis,
Cur lædamus eos? ſit procul iſte furor!
Qui ſua non dubitant nobis ſecreta fateri,
Ne perdamus eos, jure tenemur eis.
Nos pueri paſcunt, nos portant, noſq; reportant,
Nos quoque conſervant ſedulitate ſuâ.
Redditur exoſus meritò delator, amico,
Criminis eſt, crimen impoſuiſſe ſuo.
Cum taceant oculi, qui res vidére ſtupendas,
Cur, quod non videat garrula lingva, refert?
Abſit, ut os oculis hâc conditione miniſtret,
Alter ut ambobus cauſa ſit, unde ruant.
Os malè ſi pravum laxes, cum ſit tamen unum,
Quid prodeſt, oculos continuiſſe duos?

Os

Os igitur pravum taceat, quoad usque loquantur
Aures, aut oculi, pesve, manusve, ſibi.
Solvere tunc poterit indicta ſilentia lingva,
Cum priùs audierit, cœtera membra loqui.
Si priùs ediderit oculus, quod vidit, & auris
Antè, quod audivit, pesq; manusq; mea;
Libera cum lingva ſua vox reddetur in omnes,
De quibus ad præſens quæſtio mota fuit.
Hoc tamen adjecto, quod quis ſibi fortè cavere,
Nec membris valeat, muta ſit, usque queat.
Nam nihil in mundo, cum ſint nequiſſima multa,
Hoc vitio nequam nequius eſſe poteſt.

Voluntas et ratio Brunelli loquitur ad Galienum.

Talia dicente Niſo, mea lumina clauſit
Somnus, & incepi ſtertere, more meo.
A ſonitu, volucres, vernâq; velociùs aurâ
Excitæ, ſubitò disparuêre loco.

Idem Brunellus de inſtabilitate mundi.

Talia, mî Doctor, mecum dum ſæpè recordor,
Arctor, & in curas diſtrahor ipſe graves.
Cumque nihil ſtabile maneat ſub orbe creatum,
Quis neget, inſtabilem quemlibet eſſe ſtatum?
En! ego, qui fueram juvenis, patiensque laborum,
Et fortis, modò ſum fractus, & ipſe ſenex.
Cumque ſatis conſtat, centum vixiſſe per annos,
Vix mihi jam videor tres habuiſſe dies.
Omnia teſtantur, ſolum ſupereſſe ſepulchrum;
Sicque dies ſupereſt: auguror, eſſe brevem.
Vivere velle diu, nihil eſt, niſi velle, quod abſit,
Vivere peccato, vita ſit ergò brevis!

Cum

Cum ſine peccato non ſit naſcentis ab alvo
  Una dies pueri, quid reor, eſſe mihi?
Qui ſemper pecco, nunquamque miſer reſipiſco,
  Non metuens hominem, deſpiciensque Deum.
Nec tamen ignorans pecco, ſed prava ſcienter
  Et prudens facio, Relligioſus ego.
Cumque miſer meditor, loquor, & operor mala,
  Poſteriore die deteriora ſequor. (ſemper
Pravus heri, pejor hodie, cras peſſimus, ultra
  Quônam progredior, pronus in omne malum?

Hic iterum Brunellus proponit ſe tradere Religioni ſuæ.

Hinc eſt, quod ſtatuo, me tradere Relligioni,
  Cujus ego primus doctor & auctor ero.
Hanc ego quantociùs, Domino præſtante, ſubibo,
  Sollicitus vitæ de brevitate meæ.
Hâc quoque de cauſâ Romam devotus adibo,
  Ut confirmetur hic novus ordo mihi.
Nec mihi difficilem ſuper his credo fore Papam,
  Aſſenſum facilem Curia tota dabit.

Brunellus conſulit Galieno, ut ſecum intret eundem ordinem.

ET ſi fortè velis vitam mutare, Magiſter,
  Conſilio ne quo longiùs ire pares.
Nec te, diſcipulo, pudeat, tua colla Magiſter
  Subdere, pro Domino, proq; ſalute tuâ.
Iſtud contingit in Relligione frequenter,
  Quod major ſervit, præficiturque minor.
Digna ſub indignis vivunt, roſa ſub ſaliuncis,
  Lilia ſub tribulis: Ne movearis in his.
Opprimit ingenuum ſervus, ſtultusque diſertum,
  Injuſtus juſtum, nox tenebroſa poluм.

Quod

Quod magis abjectũ, vel quod minus utile cernũt,
Majori ſtudio magnificare ſolent.
Exemplumque meæ matris meditemur in actu,
Quod fuerat ſolita ſæpè referre mihi.

Hic introducit exemplum de tribus Deabus Fatalibus, quæ Parcæ dicuntur, & finguntur fila ducere.

IBant tres, hominum curas relevare, ſorores,
Quas nos fatales dicimus eſſe Deas.
Unus erat cultus tribus his, eademque voluntas,
Naturæ vitiis ferre ſalutis opem.
Et quod aura minus dederat, vel prodiga, multum,
His emendandis plurima cura fuit.
Dum graderentur ita, caſu reperêre puellam,
Colle ſub umbroſo, quæ Jove digna fuit.
Nam formoſa nimis, generoſo ſchemate nata,
Æquabat vultus nobilitate genus.
Propter eam ſuperi, ſuperis ſi nota fuiſſet,
Moviſſent magno prœlia magna Jovi.
Juppiter ipſe polo, quàm virgine ſe caruiſſe
Septenni ſpacio mallet, & exul agi.
Nil tribuiſſe magis potuit natura decoris,
Si ſtyga juraſſet, vel Jove nata foret.
Planctibus illa tamen, tantis lacrimisque vacabat,
Quod circumpoſitam ſæpè rigaret humum.
Nunc faciẽ cædens, nunc palmis pectora tundens,
Non requieſcebat, ungvibus ora ſecans.
Hâc igitur viſâ, geminæ voluêre Sorores
Ferre ſalutis opem, ſi licuiſſet eis.
Inſtabantque duæ, dominam ſociamque rogantes,
Ut ſaltem ſineret mitius eſſe malum.

Illa

Illa ſed ê contra, verbis vultuque renitens,
Obſtitit, & ſurdâ pertulit aure preces.
Sed, ne ſollicitas ſuper his, timidasque ſorores,
Et quaſi contemptas redderet, inquit eis:
Venimus, ut noſtis, nos tres inviſere mundum,
Ut ferremus opem, ſed quibus extat opus.
Non opus eſt iſti, quia, quam natura beavit,
In quantum potuit, & quibus auſa fuit:
Cui genus, & ſpeciem formæ tribuit ſpecialem,
Debet & id nobis, & ſatis eſſe ſibi.
Forſitan auxilium ſi præſtaremus eidem;
Poſſet de facili deteriora pati.
Obfuit augmentum multis, meliusque fuiſſet,
Vivere contentos ſimplicitate ſuâ.
Quærere, quæ ſupra vires proprias, aliena,
Et vetitis pariter illicitisque frui.
Naturæ ſtudio quæ non comitantur & uſu,
Succumbunt leviter, deficiuntque citò.
Non patitur natura diu contraria jungi,
Nec ſibi vim fieri: vult ratione regi.
Dixit, & abſcedens flentem triſtemque reliquit,
Non immutato, qui fuit antè, ſtatu.
Cumque recedentes ferventior ureret æſtas,
Arctaretque nimis hinc calor, inde labor.
Vicini nemoris umbras petiére, volentes
Arentem gelido fonte levare ſitim.
Jam nemus attigerant, ſed & ecce, puella venuſta
Inque toro poſita, ſola jacebat ibi.
Quæ cum Numinibus asſurgere læta parasſet,
Non potuit, multâ mole retenta pedum.
Quod potuit, fecit, ſua brachia prona tetendit,
Obtulit & lepidè verba ſalutis eis.
Edocuitque viam nemorum, quâ parte ſerenus
Fons erat, & vivas parturiebat aquas.

Addidit

Digitized by Google

Addidit & dicens: Irem comes ipſa libenter
 Vobiſcum, ſinerent ſi mea fata mihi.
Sed pedis & femoris cum pondere, cumq; dolore
 Hæreo continuo corpore fixa toro.
Huc &, ut umbrarer, alieno fulta ducatu,
 Non proprio, veni, ſumque relicta mihi.
Talibus auditis, geminæ flevére ſorores,
 Quærentes dominam flectere flendo ſuam.
Cumq; nimis flerent, multumq; diuq; rogarent,
 Quatenus huic ſaltem redderet ipſa gradum.
Ut pedibus niti propriis, poſſetq; reverti
 Sana, nec ulteriùs ægra tenere torum:
Illa nihil mota; ſed nec miſerata ſorores,
 Ibat, et exorſa taliter, inquit eis:
Ut decet, & debet, multâ pietate moveri
 Vos video, bene nunc votaque veſtra ſcio.
Sunt pia, ſed juſta non ſunt, quapropter opus
 Jure repellantur, quæ ratione carent.
Virginis illius, pro quâ me ſollicitaſtis,
 Quæ ſit conditio, cernite, quisve ſtatus.
Pondere preſſa pedum prohibetur figere greſſum,
 Hæret & aſſiduo pondere merſa toro.
In membris aliisque vigent ſpecialia dona,
 Si bene penſetis, inſita multa manent.
Hinc ſenſu mentis, hinc pollet acumine vocis,
 Moribus & ſtudiis hinc vacat, inde viget.
Gratia tanta ſibi manuum conceſſa videtur,
 Quod vix, aut nunquam poſſit habere parem.
In tribus excellit, cum ſit pulcherrima vultu,
 Pectore, voce, manu: Sunt ſatis iſta ſibi.
Sola decem poſſit ſatis exhibuiſſe puellis,
 Ex manibus ſolis: ſola quid ergò jacet?
Non opus eſt igitur, ditari munere noſtro,
 Cui natura potens tot precioſa dedit.

Officio privata pedum, ſi langvet in uno,
  In tribus aut certè quattuor ipſa viget.
Talibus auditis, lacrimas tenuére ſorores,
  Reſtantemque ſibi corripuére viam.
Serior hora Deas monet, indulgere quieti,
  Alternâque vice nocte levare diem.
Cumq; forent poſitæ, ſeſe jam compoſuére
  Urbis in introitu, quæ propè fortè fuit.
Exiit in bivium, ventrem purgare puella
  Ruſtica, nil reverens, inverecunda, Deas.
Veſtibus elatis retrò, nimiumque rejectis,
  Poplite reflexo, crure reſedit humi.
Una manus fœnum, panis tenet altera fruſtum
* * * * * * * * * * * * * * *
Sed neque pro populo ceſſavit prætereunte,
  Nec propter poſita Numina ſacra propè.
Erubuére duæ, viſum vultumque tegentes,
  Veſtibus abjectis, arripuére fugam.
Tertia ſubſiſtens, revocansq; duas fugientes:
  Ut quid, ait, fugitis? ſiſtite, quæſo, gradum.
Quænam cauſa mali? non ſomnia vana videtis:
  Quod modò vidiſtis, alter Horizon erat.
Non habuit melius, quàm quod nobis manifeſtũ
  Fecit, & oſtendit ſimplicitate ſuâ.
Si natura potens miſeræ meliora dediſſet,
  Non ita monſtrasſet cornua luna nova.
Hìc opus, hìc opus eſt non parcere, ſed miſéreri,
  Et feſtinando ferre levamen ei.
Hìc opus, hìc opus eſt, ut diffundamus abundè,
  Et demus largâ, munera magna, manu.
Huic nihil omninò dives natura reliquit,
  Hæc eget, hìc opus eſt, ut faciamus opem.
Iſta ſuâ nunquam virtute reſurgeret: Iſti,
  Eſt pietatis opus, ferre ſalutis opem.

SI

Si cadat iſta ſemel, non eſt, qui ſublevat ipſam,
Nec quicquam proprium, quo relevetur, habet.
Pauper, inops, & egens, quam ſic natura beavit,
Inſita quod miſeræ gratia nulla manet.
Non quem fortuna, ſed quem natura beavit,
Munere virtutum divites omnes habet.
Contra naturam nihil inſeruiſſe valemus,
Nec volumus, niſi quod de ratione licet.
Intùs & exteriùs eadem natura manebit,
Quæ priùs extiterat, ſed ſtatus alter erit.
Quodque nequit fieri, naturam degenerare
Nolumus, injuſtas non decet eſſe Deas.
Res, & opes adici poſſunt, extraque liniri
Naturæ ſalvâ proprietate ſuâ.
Nos igitur, quibus eſt ſuper his collata poteſtas,
Demus abundanti, munera magna, manu.
Divitias, & opes, cenſus, fundos, & honores,
Prædia, montana, paſcua, prata, greges.
Urbis & iſtius dominam ſtatuamus eandem,
Ut nihil in noſtro munere deſit ei.

Iterum Brunellus hortatur Galienum, ut ſubeat ordini ejus.

HÆc mea multotiens genitrix narrare ſolebat,
Cujus me certè non meminiſſe pudet.
Talibus exemplis in Relligione frequenter
Multa ſolent fieri, quæ ratione carent.
Hic modus eſſe ſolet in Relligione, Magiſter,
Illud oportebit te quoque ſæpè pati.
Illud ubiq; viget, hæc ſunt ſpecialia multis,
Hic Prælatorum mos malus eſſe ſolet.
Hæc ſunt, quæ faciunt inconvenientia multa,
Ut ne conveniant paſtor, oveſque gregis.

Hæc ſunt, quæ pariunt in Relligione ruinas,
Scandala, contemptũ, ſchismata, damna, dolũ.
Cœtera cum posſit, multis obnoxia, virtus,
Contemptum proprium disſimulare nequit.
Nil graviùs lædit mentem, nil altiùs urit,
Quàm cum virtutum munera ſpreta jacent.
Cœtera cum ſoleant etiam cum tempore labi,
Hoc animum nunquam deſeruisſe ſolet.
Vulneris hoc gen⁹ eſt, quod per medicamina creſcit,
Et gravius tractu temporis ulcus habet.
Aſpidis hoc animo facit inſtillare venenum,
Cui nihil antidotum prævaluisſe poteſt.
Contemptum proprium qui ferre poteſt patienter,
Cœtera de facili ſuſtinuisſe poteſt.
Omnia cum ſoleat victrix patientia ferre,
Victa ſub hoc onere ſuccubuisſe ſolet.

TIMET BRUNELLUS DE EVENTU futuro malo, ex ſigno, quod ei accidit.

TAlia dicenti, ſubitò de nare ſiniſtrâ
Frigidus erupit ſangvis, & ipſe brevis.
Quo ſtatim viſo, dixit Brunellus: Iniquum
Portendunt aliquid talia ſigna mihi.
Olim, nocte priùs, quàm caudam mane moloſſi
Surripuére meam, contigit illud idem.
Proſpera det Domin⁹ mihi! nunc & de mane duro
Eruat! inque bonum ſit cruor iſte, precor!
Omni mane ſuo currens lepus, & capra clauda
Obvia ſint illis, qui mala noſtra volunt!
Noctua prima, precor, ſit avis, quæ mane ſereno
Exeat, occurrens hoſtibus arcta meis!
Obvia nens veniat lanam de vellere nigro,
Deque talo taxi fœmina, nuda pedes!

Mane

Digitized by Google

Mane ſenex calvus, & vespere, crine ſoluto
Hoſtis in occurſum curva feratur anus!
Obvius occurrat utriusque coloris eisdem
Obſtipo monachus vertice, voce carens!
Pauperis & viduæ veniens de funere triſti
Presbyter, iratus ipſe ſalutet eos!
Ad levam bufo transverſus, corpore toto
His prior occurrat, & ferat ipſe pedem,
Quique ſolet dici peſtisque, nocentior omni,
Ruſticus, occurrat hoſtibus ipſe meis!

QUALITER BRUNELLUS TANDEM post diuturnum errorem à domino ſuo Bernardo reperitur.

Vix ea fatus erat, cum ruſticus ecce cruentus
Intrans, & accludens oſtia, dixit ita:
O Brunelle, mihi multos quæſite per annos,
Et nunc fortuitò, vixque reperte tamen!
En ego! Bernardus, dominus tuus; En! ego certè,
Sub quo præterita crimina cuncta lues.
Huc ades! accede: mecum gradieris ad urbem,
Unde receſſiſti nocte, patrando dolum.
Et novus annus erat, & ſabbata ſacra fuerunt,
Tempore quo ſcelus hoc auſus es, atque nefas:
Et, bene ſi recolo, poſtquam me deſeruisſes,
Quattuor aut quinq; luſtra dedére locum.
Jam ſenio fractus, jam viribus, atque vigore
Corporis effractus, diceris esſe ſenex.
Abſit, ut ulteriùs quicquam, niſi fortè coactus,
Sive libens facies, absque labore tamen.
Uſibus addictus tantummodò cottidianis,
Nil facies, niſi quod paucula ligna feres.
Sportellas æneas geminas, duplicesque farinæ
Saccos, meque ſuper: nec grave pondus ego.

Dixit, & immiſſo capiti de more capiſtro
Duxit, & abduxit, fuſte docente viam.
Et ne fortè fugam rurſus meditetur iniquam,
Subtrahat & domino debita penſa ſuo.

BERNARDUS ABSCIDIT UTRAMQUE aurem Brunelli, ne ampliùs diſcurreret.

FUnditùs abſcidit aurem Bernardus utramque,
Cautior ut fieret, cauteriatus ita.
Tunc Brunellus ait Bernardo: Nunc ſcio verè
Vertice cum caudâ conveniente meo.
Quod mihi ſit verus, ſanctusque propheta locutus,
Pariſiis, dudum dum meditarer ibi.
Hic quaſi præterita narravit ſæpè futura,
Multaque prædixit non memoranda modò.
Quicquid enim factum vel dixerit eſſe futurum,
Fecerunt factis verba ſecuta fidem.
Sæpiùs ille mihi de te quoque multa locutus,
Nec ſunt privata pondere verba ſuo.
Sæpè meos caſus, & quæ ventura ſuper me
Viderat, expoſuit præſcius ille mihi.
Proſpera quinque mihi prædixit adeſſe futura,
Poſtquam præterita quinque ſiniſtra forent.
Quattuor ex quinque jam præteriére ſiniſtris,
Quæ mihi prædixit ille propheta meus.
Quinta mihi ſupereſt, ſed & ipſa noviſſima, plaga,
Quam ſum paſſurus, perpetiorque modò.
Ultimus ille dolor, erit ultimus ille dolorum
Terminus, & tanti meta laboris adeſt.
Ultima plaga mihi finem, requiemque laborum
Conferet, & voto perfruar ipſe meo.
Namq;, meis jam quinq; malis modò ſic ſuperatis,
Mox totidem venient proſpera fata mihi.

Ruſti-

Digitized by Google

Ruſticus hic nequam, velut extitit ante dolorum
Principium nobis, ſic quoque finis erit.
Prima mali cauſa, contrarius atque rebellis
A puero cœpit ruſticus eſſe mihi.
Prima Statûs noſtri per eum mihi quæſtio mota.
Namque priùs toto tempore liber eram.
Callidus ille prior ſibi me ſervire coëgit,
Fecerat & multum ferre laboris onus.
Sed vice converſâ finem vexatio noſtra,
Unde priùs cœpit, eſt habitura ſuum.
Non ego, crede mihi, ſed ruſticus ille malignus
Præſtitit exemplum principiumque mali.
Unde ſuis meritis condigna rependere, certè
Non erit indignum, ſed pietatis opus.
Lex antiqua jubet pro membro reddere membrũ,
Dentem dente, pede reſtituiſſe pedem.
Sic ego Bernardo faciam, niſi fortè, quod abſit,
Fata vocent aliis, quàm mea vota velint.
O ſi Bernardus, quæ ſunt ventura, videret,
Et quàm Brunello gloria magna manet!
Non ita me premeret virgâ, baculoque feriret,
Nec ferrum faceret in latus ire meum.
Sed potiùs proſtratus humi, veſtigia noſtra
Pronus adoraret, porrigeretque preces.

De casu Bernardi & de Dryano.

Talia Brunello ſecum meditante, Cremonam
Intrat, & eſt domino ſubditus ipſe ſuo.
Contigit interea Bernardo res memoranda,
Quæ ſatis in totâ nota Cremona fuit.
Fama frequens populi rerum facies redivivas
Suſcitat, & veteres res facit eſſe novas.

Digitized by Google

Fama frequens populi, ne tempora geſta ſeneſcant,
Annorum ſenio conſuluisſe ſolet.
Damna vetuſtatis, moriturąque tempora nobis
Fama frequens redimit, geſta priora docens.
Tres habuit pueros pauper Bernardus alendos,
Quarta fuit conjunx, quintus aſellus erat.
Ille domûs, dominiq́ue ſui ſubſtantia tota
Solus erat, quamvis parva, parumq́ue valens.
Ad fora ligna trahens, ſeſe, dominumq́;, domumq́;
Quinque labore ſuo ſolus alebat eos.
Contigit ergò ſemel, quod cum Bernardus ab urbe
In nemus exisſet ipſe, comesq́ue ſuus;
Audirent, hominis velut exiſtentis in antro
Vox foret, exclamans, auxiliumq́ue petens.
Hæſit & obſtupuit primò Bernardus, & inde
Impoſuit fronti ſigna ſacrata crucis.
Diſcernensq́; modum clamoris, vocis acumen,
Corporis humani comperit ipſe ſonum.
Deſignansq́ue locum, quo vox diffuſa per auras
Clariùs auditur, ire parabat illuc.
Sicq́ue ſonus vocis, vox verbi nuncia, tandem
Nosſe dat expreſſa verba quid ipſa velint.
Nobilis, atque potens, Vir magnus ab urbe Cremo-
Fortè Dryanus erat, dives & ipſe nimis. (nâ,
Qui cum ſæpè canes ſequeretur, amore ferarum,
In foveam lapſum contigit eſſe ſemel.
Os erat anguſtum foveæ, ſed lata deorſum,
Atque profunda nimis & tenebroſa fuit.
Corruerantq́ue ſimul in eam, Leo, ſimia, ſerpens,
Cum quibus & quartus ipſe Dryanus erat.
His tribus in foveam lapſis, collapſus & ipſe,
Hoſpes, & invitus cœperat esſe comes.
Quisq́ue ſibi timuit, tacuitq́ue, timore coactus,
Præter eum, cui vox aucta timore fuit.

Quar-

Quarta dies aderat, ex quo, clamore lugubri,
Quæſierat vanâ voce ſalutis opem.
Quâ tamen excitus venit Bernardus, & illum
Poſcit, ut exponat: quis ſit? & unde refert.
Ille Dryanus, ait, miſer & miſerabilis hic ſum,
Qui nuper fueram major in urbe meâ.
Quisquis es, accede, fer opem miſeroq; miſertus,
Extrahe: pro certo præmia magna feres.
Quicquid in humanis rebus mihi competit, illud
Pro mercede tuâ dimidiabo tibi.
Quoque magis poſſes ſecurior eſſe, Deorum
Per facro ſancta Numina juro tibi!
Talibus auditis, ſpe lucri ductus ad antrum
Ruſticus, accedens acceleravit opus.
Vimine contextum funem dimiſit, at illum
Simia corripiens, exit, abitque citò.
Tunc ita Bernardus, ſathanæ phantasmate luſum
Se reputans, dixit: Vah! quid ineptus ego?
Ecce, quid extraxi? dum debuit eſſe Dryanus,
Dæmone fallente, Simia magna fuit.
Eſt locus infauſtus, vox dæmonis, arsq; maligna
Me malè ſubvertit, meque fefellit ita.
Ergò revertar ego, ſigno crucis intitulatus,
Ne quodcunque malum poſſit obeſſe mihi.
Talia dicentem, magno clamore Dryanus
Advocat, adjurat, multiplicatq; preces,
Et ne deluſum ſeſe phantasmate credat,
Commemorat ſanctos, & ſacra verba refert.
Poſtulat, ut funem rurſus dimittat in antrum,
Præmia ne pereant percipienda ſibi.
Vincit amor lucri, rurſum dimittit ad ima
Funem, ſed fruſtrà, ſpe pereunte ſuâ.
Funibus immiſſis ſerpens exivit ab antro,
Horridus aſpectu, delituitque citò.

Quo viſo, Bernardus ait: Tua dona, Dryane,
Reſpuo, cuncta tua ſint tibi, tuque procul!
Dæmonibus plenus locus hic, phantaſmata terræ
De gremio profert, & nova monſtra parit.
Jamque receſſiſſet fugiens, ſine ſpe redeundi,
Spes niſi lucrandi detinuisſet eum.
Spes & amor lucri cupidum vicére, Dryano,
Quæ promiſſa juvant, multiplicante preces.
Ordine quo ſuprà, miſero remanente Dryano,
Funibus immisſis, exiit antè Leo.
Palluit inſpecta Bernardus ad ora leonis,
Concutit & gelidus omnia membra timor.
Nec remanere putat tutum, nec voce timorem
Prodere, nec celerem corripuisſe fugam.
Si fugit, ecce! fame longâ ſtimulante coactus
Circuit eſuriens, ore fremente, Leo.
Si manet, exoſus locus eſt, quia dæmone plenus,
Exactoque die, nox metuenda venit.
Viribus elapſis, ſenſum timor ebibit, artus
Deficiunt, domino deficiente ſuo.
Auget & hæc ſecum vox, exclamantis in antro,
Importuna ſatis, & miſeranda nimis.
Spondet opes, & agros, turrita palatia ſpondet:
Quicquid ſpondere corde vel ore poteſt.
Jamque tot addiderat precibus promisſa, quod ipſa
Vox ſimul, & ventus deficiebat ei.
Et pietate ſuâ, niſi plus innata cupido,
Convertit cupidi vota viamque viri.
Ardet anhela ſitis, & ſpe, fallente laborem,
Ampliùs accensâ, creſcit avara fames.
Funibus immisſis, tandem Bernardus ab imo
Carceris horrendi triſte levavit onus.
Utque ſolent crebrò varii contingere fines
Caſibus in variis, præcipueque malis.

Cum

Cum propè jam putei foret egreſſurus ab ore,
Inque pedem lætus depoſiturus humo.
Rupto fune miſer rurſum cecidiſſet ad ima,
Ni cita Bernardi dextra tuliſſet opem.
Qui ſubito caſu capiens, retinensque ruentem
Longiùs abſtraxit, reſtituitque ſuis.
Sic patriæ, domuique ſuæ, rebusque Dryanus
Redditus, evaſit damna, pericla, necem.

Evasio Dryani et eius perfidia deſcribitur.

Quo facto, Bernardus adeſt, poſcitque Dryanum,
Ut firmata fide pacta tenere velit.
Quem quoque mutatâ facie conſiderat, olim
Facta, recordatur, & ſua pacta petit.
Et ſi non poſſet ſervare per omnia pactum,
Vel ſaltem pacti pars quota detur ei.
Ille ſed ê contra pactum negat, huncque furoris
Arguit, & canibus arcet ab æde ſuâ.
Quòque magis cogat miſerum reticere, minatur
Privandum capitis proprietate ſui.
Obſtupefactus ob hoc verbum, Bernardus ab aulâ
Feſtinans, digito ſupprimit ora ſuo.
Compertoque ſatis, quod ſit metuenda poteſtas,
Atque quod interdum divitis ira, furor.
Tutius eſſe putat, lingvam cohibere, Dryanum
Quàm de promiſſo ſollicitare ſuo.
Nam cui ſunt etiam ſuſpecta ſilentia, certè
Verba magis fieri ſuſpicioſa ſolent.
Divitis offenſam non eſt incurrere tutum,
Cujus rara fides, & metuendus amor.

DE

Digitized by Google

De remuneratione facta Bernardo per Simiam, Leonem, & ſerpentem.

Cumque die quartâ ſilvam Bernardus adiret,
Brunello dominum more ſequente ſuum.
En! Leo, depoſitâ ſolitâ feritate, ferinis
Carnibus oblatis, annuit ore, pede.
Sicq; vicem meritis referens, gratesq; rependens,
Et ſic, quâq; poteſt parte juvare, juvat.
De grege cervorum, quem pingvius eſſe putabat,
Attulit, & domino contulit ipſe ſuo.
Vertice ſubmiſſo, nec dum remeante Leone,
Venit & in dorſo Simia ligna ferens.
Lignorumque ſtruem poſitam propè, quam priùs (ipſe
Fecerat ex ſicco, præmia monſtrat ei.
Quam, ſibi tollendam, ſe collegiſſe revelat
Nutibus, & ſignis, officioque ſuis.
Nec ſemel, aut iterum fuit hoc iterare, ſed omni
Quo Bernardus adeſt conſtituére die.
Hæc duo cottidiè, carnes, & ligna parata,
In nemus adveniens, accipiebat ibi.
Sed neque ſerpenti labor eſt impenſus inanis,
Munere qui modico maxima dona dedit.
Nam ſemel accedens ſupplex, ſimilisque volenti,
Si poſſet, grates voce referre ſuâ.
Faucibus incluſam gemmam dimiſit ab ore,
Inſpueritque manu ſuſcipientis eam.
Neve, moram faciens, faceret collata minoris
Ponderis, & precii dona tenore ſui,
Protinùs aufugiens, doni, dantisque favorem
Auget, & obtentu fit fuga grata ſuo.
Cujus enim non eſt præſentia grata videnti,
Dona parum ſapiunt, & ſua verba minùs.

Digitized by Google

Talia Bernardus cernens, ſenſumque ferarum,
Factaque dinumerans, hinc ſtupet, indè probat.
Carnes, ligna, lapis: quæ dant Leo, Simia, Serpens,
Moribus ingenuis prædicat esſe feras.
Beſtia pro meritis dum præmia digna rependit,
Arguit ingratos, immemoresque boni.
Quod bene Bernardus, malè respondente Dryano
Pro meritis tantis ſe didicisſe, probat.

Ditatio Bernardi per lapidem, quem ſerpens ei dederat.

Munere dotatus tanto Bernardus, ad urbem
Feſtinat læto corde, juvante pedem.
Atque ſui lapidis vires cognoſcere quærens,
Artifices lapidum ſollicitare ſtudet.
Sed lapis ignotus, nec in urbe repertus eâdem
Anteà: ſcire negant inſita dona ſibi.
Quem, tunc æris egens, tandem diſtraxit, & auri
Pondere pro triplici fecit abesſe ſibi.
Cumq; domum veniens vellet numerare monetã,
Quam retinere magis, quàm numerare, juvat.
Quem modò vendiderat lapidem, preciumq; tene-
Impoſitum loculis comperit eſſe ſuis. (bat:
Quem retinere volens, timuit: quia principis illũ
Emerat eunuchus, vir bene notus ei.
Unde celer rediens, ſimulans, errore retentum,
Reddidit emptori fida timore manus.
Vix Bernardus erat intrà ſua tecta receptus,
Cum lapis in loculis ecce! reverſus adeſt.
Reddidit eunucho rurſus, velut ante, relatum,
Sed, redeunte domum, rurſus & ipſe redit.
Jamq; reverſus adeſt totiens, quotiensq; relatus,
Et vice converſâ res variata fuit.

Quod

Quod murmur populi Regis pervenit ad aures,
Et rumor lapidis ſe referentis ita.
Qui, novitate rei ductus, præcepit adeſſe
Non lapidem ſolum, ſed ſimul hunc, & eos.
Partibus accitis, mixtus cum divite pauper
Intrat, & ingreſſus, atria lata replet.
Sub damno capitis, ſub conditionis, & urbis,
Subque fide Chriſti, quâque tenentur ei;
Rex jubet, ut ſi quis factum, factique tenorem
Noverit, impunè dicat, & abſque metu.
Quæ ſit cauſa latens, quânam ratione lapillum,
Collatum totiens, nil retinere queat?
Unde ſit ablatus? vel quâ regione repertus?
Quod ſit ei nomen? gloria? ſi qua latet.

Responsio Bernardi coram Rege, de acquiſitione lapidis.

Surgit ad hanc vocem, poſcensq; ſilentia ſolus
Bernardus Regis procidit ante pedes.
Exurgensque ſtatim, poſitoque timore, reſumptis
Viribus ebibitis, ora reſolvit ita:
Quattuor in puteum nuper cecidére profundum,
Ex quibus unus, homo, tresq; fuére feræ.
Exitus omnis eis fuit interdictus, & eſſet
Tempus in omne meum, nî mea cura foret.
Namque loci talis puteus fuit, ordine tali
Depoſitus, cœcâ nocte tegente diem.
Dum nemus ingrederer, ſolo comitatus aſello,
Auribus inſonuit vox miſeranda meis.
Quam dum proſequerer, multo diſcrimine tandē
Aſſequor, inquirens, quæve? vel unde foret?
Quæ mihi reſpondit, quoniam fuit ipſa Dryani,
Qui jam factus erat quatriduanus ibi.

In

In puteum lapſi fuerant, Leo, Simia, Serpens,
Hoſpes & ipſe tribus quartus adauctus erat.
Sed tamen id tacuit, ne me terreret eorum
Nomine prolato, corriperemque fugam.
* * * * * * * * * * * * * * *
Sed de poſt facto res manifeſta fuit.
* * * * * * * * * * * * * * *
Nota ſatis miſero teſte labore meo.
Anxius ille nimis, mortiſque timore coactus,
Hinc ſpondebat opes, inde petebat opem.
Juravitque mihi per Numina ſumma, ſuumque
Baptiſmum, Chriſti per caput, atque pedes.
Per ſanctum Jacobum, per Thomam Canthuarienſẽ,
Quos etiam nudo vovit adire pede:
Quod mihi res, & opes, ſed & omnia dimidiaret,
Si meus inde labor tollere poſſit eum.
Spes & amor lucri multum ſuaſére, Dryano
Multiplicante preces; ut miſererer ei.
Sed plus, teſte Deo, vicit miſeratio mentem,
Perſuadendo ſimul, vimque ferendo mihi.
Artibus ergò meis, multo comitante labore,
Quid factum fuerit, facta loquuntur adhuc.
Quod Leo, quod Serpens, quod Simia nõ periẽrũt,
Non eſt Bernardus cauſa, ſed ille fuit.
Nam, niſi propter eum, quia cœtera turba latebat,
Quâ prece? quo precio? curque gravarer ego?
Quattuor extraxi, fuit ille noviſſimus horum,
Cum quibus & primum nollet habere locum.
Ultimus exivit, ſed vix, tardeque Dryanus,
Non quia tardus ego, ſed gravis ille fuit.
Ergò gravem dixi, quem multò tùm graviorem,
Optarem ſtricto jure, fuiſſe, meo.
Rupta forent utinam mea vincula cuncta repentè,
Et me fruſtraſſent arſque laborque meus.

Funi-

Digitized by Google

Funibus abruptis, puteus clauſiſſet iniquum
Texiſſetque ſuum nox tenebroſa caput.
Reddidit obſequium dignum mihi cura ferarum,
Sit fera non fera; ſit præmia digna ferens.
Nam Leo præclarus carnes referendo ferinas
Præſtat, & adventum prævenit ipſe meum.
Simia ligna legit, quæ tutè lecta reponit,
Inque loco certo præparat illa mihi.
Hoc, quotiens, quantumq; volo mihi tollere, tollo,
Tanquam pro meritis certa tributa meis.
Hunc etiam lapidem ſerpentis ab ore recepi,
Propter quem præſens quæſtio mota fuit.
Cui tamen, aut alia, quàm quod nequeat retineri,
Inſita ſit virtus, neſcio, teſte Deo:
Hæc ita ſunt, Domine mî Rex: aliterq; locutum,
Quàm fuerit, ſervum non reor eſſe tuum.
Ipſe velim, ſine me quæras, faciasque requiri,
Vera rei ſeries quæ ſit? & an ſit ita?
Præmia veridicus capiam, falſumque locutus
Si fuero, gladio vel cruce plectar ego.

Sententia regis pro Bernardo contra Dryanum.

TAlibus auditis, Rex juſſit adeſſe Dryanum:
Nec mora, juſſus adeſt, Rege jubente ſuo.
Et quia de facto Regi conſtabat, & ipſa
Res fuit indiciis certificata tribus:
Protulit edictum, vel conſentire Dryanum,
Ut cum Bernardo dimidiaret opes.
Vel quod per triduum putei loca nota ſubiret,
Adjunctus tribus his, cum quibus ante fuit.

Sententia regis placet cunctis.

IN commune placet cunctis ſententia Regis,
Bernardoque ſatis res ita geſta placet.

Ma-

Digitized by Google

Maluit ergò, ſua ſe dimidiare, Dryanus,
Et ſervare ſimul pacta, fidemque ſuam:
Quàm ſe fortunæ tali committere, totum
Quæ ſibi ſubriperet, dimidiando nihil.
Dimidians igitur Bernardo cuncta, Dryanus
Triſtis & invitus dimidiata dedit.
Nec minùs ingrati nomen, notamque perenni
Incurrit facti conditione ſui.
Ex tunc Bernardus fit lætus, flente Dryano,
Quod ſic perdiderat tanta, dolore gravi.
Taliter ecce! luunt ingrati ſæpè, quod ipſi
Non reddunt digna præmia pro meritis.
Expedit idcircò meliùs quandoque, dediſſe
Corde libenti, quàm detinuiſſe manum.
Maxima pro meritis impendere præmia digna,
Eſt pietatis opus, & jubet iſta Deus.
Non hominis labor, aut opus, uſq; moretur apud te
Mane, quod hinc non ſit clamor in aure Dei.
Et nova lex dicit, quòd quilibet eſt bene dignus
Vir mercede ſuâ, teſte labore ſuo.
Ergò qui non dat, dum tempus poſtulat, aut res,
Suſcitat ipſe ſibi damna nociva nimis.

HIC AUTOR CONCLUDIT HUIUS operis librum, hortans ad intellectum.

CEdat in exemplum cunctis viventibus iſta
Brunelli vita, nam docet Autor ita.
Non quod verba ſonant, ſed quicquid myſticè ſi-(gnant
Scruteris Lector, cautè quid ipſa velint
Deſignare ſibi, poterit nunc fortè videre
Plura pericla mali, jure cavenda ſibi.
Nam ſunt nonnulli, tranſcendere magna volentes,
Et nituntur ad hoc nocte dieque ſimul.

Qui dum magna petunt, & talia certè laborant,
Sæpè repentè ruunt, ſæpeque deficiunt.
Contra naturam, vel ſortem quærere quicquam,
Nemo poteſt illud reddere vel facere.
Brunello teſte, qui dum quæſivit inepta,
Semper enim manſit, quod fuit ipſe priùs.
Eſt felix igitur, aliena pericula cautum
Quem faciunt, formant et ratione regi.
Plura loqui poſſem, ſed nolo ſcribere plura,
Sufficiant iſta carmina tam modica.
Deprecor ergò piâ prece, si quid lector in illis
Inveniat vitii, vel ratione carens;
Corrigat ipſe piè, me commendando Mariæ
Felici Nato: Quod roget omnis homo!


Explicit Speculum Stultorum.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

OPUSCULUM
Auctoris incerti:
LIBRI TRES DE VETULA,
OVIDII,
falsò ſic dicti,

Diverſorum Exemplarium, vetuſto-
rum et recentium, collatione reviſi, lacu-
nis, quibus Francofurtana Editio ſcatebat,
exemti, & tabulis æneis exornati,

Anno MDCLXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Lectorem
ἀρετόφιλον.

QUanquam, quæ ſuprà, in fronte bini hujus Opuſculi, ſuccinctè de duobus noſtris, uni compagi incluſis, Auctoribus, attulimus, quantum quidem nos attinebat, præloquii rationem commodam, imò et ſufficientem induiſſe videbantur: Unum tamen hìc, ne ullius à quoquam culpæ, [quod præfiſcini dixerimꝰ] accuſari jure queamꝰ, monendum denuò erat. Cum injungeretur nobis Editio hujus Pſeudo-Ovidii, cujus recudendi primaria ferè cauſa habebatur, diverſorum, quos Auctor ſuo operi interſerit, Ludorum, præcipuè verò Latrunculorum mentio; in id quamprimùm incubuimꝰ, ut, diverſorum Exemplarium collatione, genuina â falſis erueremus, & ex Manuſcriptis non minùs, quàm jamdum impreſſis integritatem Scriptoris vindicaremus. Quo in labore, dum, moderante Sereniore Oculo, felices progrederemur, adeò, ut lacunæ, quibus ſingula Exemplaria hincinde ſcatebant, oportunè expedirentur, ſphalmata ſive Amanuenſium, ſive Typographorum velociùs caſtigarentur, atque ipſe Verſificator no-

ſter vero ſuo nitori, qualiscunque tandem ille ſit, apprimè reſtitueretur: Durus adhuc alius, vel intricatus, [non tamen Gordius, Alexandro alicui ſolvendus] nodus nos urgebat. Pluralitas Ludorum, ab Auctore commemoratorum, pluralitatem Tabularum, baſin & fundamentum iſtorum, monſtrantium, introduxerat. Præter id tamen, quod ſingula Exemplaria in his σχήμασι discreparent, quædam etiam in quibusdam deficiebant. Itaq; Manuſcriptis & impresſis exactè collatis, commodiùs concinnari, & æri inſculpi, Figuræ iſtæ curabantur, eorum comprimis gratiâ, qui ſtudio Matheſeos, unde omnis fermè horum Ludorum ratio, pluribus ſæpè abscondita, fluit, utuntur. Accesſit & Affectuum Tabula, quam neque in Membranis, aliunde nobis allatis, neque in Editione Francofurtanâ, anno hujus Seculi decimo, ab Anonymo quodam confectâ; ſed in vetuſto codice duntaxat, ante duo propè Secula publicè edito, & Bibliothecæ Illuſtri Guelphicæ proprio, offendimus. Quæ cum non niſi ſeriam frontem ſibi ſpondeant, illecebrarum, inter legendum occurrentium, vada ita prudenter inoffenſo pede permeabis, ut, ſive Sirenũ luxurioſus pruritus menti

ti tuæ inſidiari, & integritatem ejus blandis verborũ lenociniis oppugnare, modis omnib⁹ annitatur; ſive Ovidiana ſenecta, flore ſuo deſtituta, & planè marceſcens, tædiũ & nauſeam fortè parere allaboret, viciſſitudinum humanarũ miſeriâ, & dolorum, voluptates inſequentiũ, gravitate ἐν διαρκέψει quaſi demonſtratâ: Semper idẽ tamẽ maneas, & palmarium tibi ſit illud: NON MOVERI. Maxumè ad exemplum Xenocratis, quem abſtinentiæ adeò inſignis fuiſſe, præclarè teſtantur monumenta Veterũ, ut, cum in Pervigilio, Phryne, nobile Athenarum ſcortũ, juxtà eum, vino gravem, accumberet, & [pignore cum quibuſdam juvenibus poſito, an temperantiam ejus corrumpere poſſet?] illecebris variis animum, licet bene poti, oppugnaret, nullâ tamen vel formæ venuſtate, vel Suadæ elegantiâ innoxium delinire, aut expugnare potuerit. Parem conſtantiã, modeſte Lector, ſi heic quoque exercueris, & tibi ipſi ſalubriùs cõſules; &, quô noſtra hæc, omnes ſordes & ſpurcitias abominantia, ſtudia characteris repetitione directa fuerint, faciliùs penetrabis, æquiusq́ue dijudicabis. Vale.

NASONIS, petulans Anus, etſi nomina prodat,
Peligni noli credere metra Viri.
Multa ſtylum ſeri reprobant examina Secli,
Terſior Oenotrio fluxerat antè latex.
Nec tamen ingenii culpâ graviore laborat:
Germinat & cytiso, flore vigoris, honos.
Sæpè manus Medici plantâ ſpeculatur in unâ,
Quodq́ nocere queat, quodq́ juvare queat.
Sperne juventutis vitium, generoſa ſequendo,
Mox tibi Naſonis, cor, μετάνοια, reget.
Sentiat oſores Liber iſte; Tenebit amicos
Non minùs: Haud omni Relligione caret.

LIBRI TRES DE VETULA OVIDII, falsò ſic dicti.

PRÆFATIO, SIVE ARGUMENTUM Leonis, Protonotarii Sacri Palatii Bizantei, ſub Vatachio Principe, in Librum Ovidii Naſonis, Pelignenſis, de Vetulâ.

OVidius Naſo, Peligni ruris alumnus,
Certus, ab exilio ſe jam non poſſe reverti,
Et quærens quæcunq; ſibi ſolatia, Librum
Edidit hunc, in eo deſcribens; Quis modus (ipſi
Vivendi fuerat tunc, quando vacabat amori?
Quare mutavit? & quomodò poſtea vixit?
Quidve intendebat, ſimul ac ab amore vacavit?
Impoſuitque ſuo titulum nomenque Libello,
De Vetulâ: pro quâ fuerat mutatio facta;
Inque ſuo ſecum juſſit condire ſepulchro,
Ut ſua ſi ſaltem contingeret oſſa referri,
Corredeunte libro, redivivum nomen haberet.
Sed quia nullus eis curavit de referendis,
Nec fuit autentin lectus, nec habetur in uſu.

ITEM PRÆFATIO IPSIUS AUCTORIS.

QUæritur, unde mihi quod opus proceſſerit iſtud
Verſibus hexametris ſolū? nec ſubduplicarim
More meo pentimemerim, cum nullus herorum
Hic deſcribatur, ſed qui perlegerit ipſum
Sed ulus, inveniet ſerviti ſemper amoris
A modò me debere jugo ſubducere, ſicque
Reſpondere ſibi poterit: cur, evacuatâ

Causâ

Cauſâ, debuerit cauſatus & evacuari
Verſus, amatorum proprius, Venerique dicatus.

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS
De Vetula
Liber primus incipit, in quo deſcribit modum vivendi, quem habuerat, dum vacaret amori.

I.

O Quàm carus erat mihi! quamq; optabilis ille
Fœmineus ſexus! ſine quo nec vivere poſſe
Credebam quemcunq; virum, ſed & inferiorem
Me certè quocunq; viro, quo ad hoc, reputabam.
Qui procul â charâ me vivere poſſe negaſſem,
Omnes ſollicitè venerans, unius odore,
Eſſe mihi malens unam, cujus modus eſſet
Commodus, & concors; quàm multiplicare puel-
Ex quibus importuna foret mihi forſitan una. (las,
Nam ſicut vulgare ſolet paradigma tenere:
Sicut, habens centum, nullam reputatur habere;
Sic & habens unam, pro centum computat illam.
Nam nullius eris, dum te non vendicet una:
Unaque ſufficiet, quaſi centum ſolus haberes.
Unusquisque ſibi, quod mavult, eligit, & quod
Non placet, hoc renuit. De me ſcio, quod magis unam
Vellem, quàm nullâ; quod concordem magis unã,
Quàm multas, quarum mihi contradiceret una.
Unam propterea cribraram, è millibus unam
Perfectam, quam ſi citiùs fortuna dediſſet,
Inter felices meritò numerabilis eſſem.

O quan-

II.

O Quantum lætabar eâ! quantumq́ue juvabat,
Eſſe ſui memorem! quantâ dulcedine, curis
Expulſis, pectusq́ue meum mulcere ſolebat!
Poſtpoſitosq́ue jocos modulis revocare ſonoris!
Veſtibus ornari nitidis faciebat, alutæ
Caſtigare pedes circumplexu ſinuoſos.
Nil erat incultum, facies niſi ſola: Puellis
Eſſe videbatur ſolis pars illa colenda.
Nec facies neglecta tamen; quin providus eſſem,
Ne circumſtarent fluxi veſtigia puris.
Seu lacrimalia, ſeu cujusq́ue foramina ſenſus.

III.

ET juveneſcebam, quotiens, mento reparato,
Barbalem radebat acuta novacula ſilvam,
Cujus cum ſpolium nullam ferat utilitatem,
Carior ulla tamen non eſt, nec debitus ulli
Tantus honor ſilvæ. Multùm placet aſperitas hæc,
Non pro ſe, ſed pro ſignato: Silva viriles
Indicat hæc animos, vires quoque partis amicæ,
Per quam ſalvatur ſpecies divina, licet ſit
Ex individuis mortalibus. Ipſa dat, unde,
Non in ſe rediens, licet in ſe viſa reflecti,
Sed proceſſivè generatio continuetur.
Ipſa receptricem fœcundat tempore certo,
Sponte refuſuram dulciſſima pignora, natos,
Quo nihil eſt homini conjunctius: Ipſa miniſtrat,
Unde ſuperba tori conſors ſe grata libensq́ue
Supponat maris imperio. Subjectio mira:
Nam famulamur eis, tanta inclinatio noſtra
Naturaliter eſt ad ſexum fœmineum, qui
Præ cunctis lætum me fecerat eſſe coævis.

Me

Digitized by Google

IV.

ME refici lautè clarâ faciebat in aulâ,
Cujus campus erat ſtratus pro tempore, prati
Nunc ſpoliis, junco, Cereris nunc ſtipite flavo.
Invitare bonos mea larga manus ſatagebat,
Et propriis rebus tanquam communibus uti,
Multiplicare dapes, effundere ſangvinis uvæ
Mille modos: & ubi rigor exigeret glacialis,
Ignibus accenſis, truncosque vorante camino,
Æſtatem revocare, novo quaſi ſole creato.
Utque meis poſſet de nocte dieſcere menſis,
Sidereas aptare faces, quas mellis alebat
Sponſa, ſed ipſius ſponſi divortia paſſa.
His immiſcebam, quicquid poterat modulari
Concentus varios, licet in diverſa trahentes:
Concordare tamen viſos, vel voce, vel uſu
Inſtrumentorum: quicquid vel muſica ſcribit,
Vel didicére manus, auditu judice, tacto
Pulſu vel tractu vel flatu: cymbala pulſum
Dura volunt, tractumque fides, & fiſtula flatum.

V.

INtrabam thalamos etiam, ſi quando libebat,
Secretos: ubi lux, ſi vellem, multa vigeret,
Nullaque, ſi vellem; vel, ſi mallem, mediocris:
Inde videre potens ſilvas, agrosque feraces,
Hortos, & vites, fluvios, & prata, lacusque;
Si tamen aspectus horum quoscunque juvaret.
Quantumcunque juvet aspectus longus eorum,
Aſpectum credas, & delectabiliorem
Incluſum mecum, ſatis & mirabiliorem.
Nam ſi dives erat, qui viſum paſcere poſſet,
Ditior à longè, qui paſcere ſufficiebat
Senſibus intellectum multò nobiliorem.

Sicut

Sicut enim virtus intellectiva ſuperſtat
Senſibili, ſic &, niſi ſit proportio mendax,
Objectum objectum ſuperabit, & interiori
Luci doctrinæ, quæ illuminat intellectum,
Nunquam præſumet conferre foranea ſe lux.
Quod ſi contulerit temerè, ridebitur inde,
Tanquam ſi candela velit contendere Soli.
Hæc lux doctrinæ mecum concluſa nitebat,
Plusque fovebat èâ, quàm quoquam materiali.
Eleganter erat paries veſtitus amœnis.
Undique picturis diverſicoloribus, auro
Clarus, imaginibus tacitis præconia clamans
Artificis: Non hiſtoriam, ſed myſtica quædam
Demonſtrans illis, quorum deſcriptio plus eſt,
Hujus quàm libri capiat ſententia tota.

VI.

ILlic lectus erat, caro precioſus amictu,
Quo poſſet ſe velle premi quæcunque puella.
Si virgo, vim ſponte pati captaret in illo;
Quæ, nihil amittens, amiſſo flore notatur.
Audacterque tori fœdus dirumperet uxor,
Quæ, fructum faciens, ſobolem turbare timetur:
Orba viro refocillari gauderet ibidem,
Dum non conciperet, eremi frondentis amica.
Hìc flos virgineus, fructusque uxorius illic,
Hìc viduus ramus, foliis facientibus umbram
Gratus, ſed poſtquam deſertum deſerit, illic
Fertilitas metuenda, niſi tranſegerit annos:
Eligit hic flores, hic fructus, illeque frondes.

VII.

SEd quia crudelis, qui famam negligit: Illam
Vir prudens cupiat, quam ſuggillatio famæ
Non ſequitur. Sanè Virgo manet integra famâ,

Donec

Digitized by Google

IV.

ME refici lautè clarâ faciebat in aulâ,
Cujus campus erat ſtratus pro tempore, prati
Nunc ſpoliis, junco, Cereris nunc ſtipite flavo.
Invitare bonos mea larga manus ſatagebat,
Et propriis rebus tanquam communibus uti,
Multiplicare dapes, effundere ſangvinis uvæ
Mille modos: & ubi rigor exigeret glacialis,
Ignibus accenſis, truncosque vorante camino,
Æſtatem revocare, novo quaſi ſole creato.
Utque meis poſſet de nocte diescere menſis,
Sidereas aptare faces, quas mellis alebat
Sponſa, ſed ipſius ſponſi divortia paſſa.
His immiscebam, quicquid poterat modulari
Concentus varios, licet in diverſa trahentes:
Concordare tamen viſos, vel voce, vel uſu
Inſtrumentorum: quicquid vel muſica ſcribit,
Vel didicére manus, auditu judice, tacto
Pulſu vel tractu vel flatu: cymbala pulſum
Dura volunt, tractumque fides, & fiſtula flatum.

V.

INtrabam thalamos etiam, ſi quando libebat,
Secretos: ubi lux, ſi vellem, multa vigeret,
Nullaque, ſi vellem; vel, ſi mallem, mediocris:
Inde videre potens ſilvas, agrosque feraces,
Hortos, & vites, fluvios, & prata, lacusque;
Si tamen aspectus horum quoscunque juvaret.
Quantumcunque juvet aspectus longus eorum,
Aſpectum credas, & delectabiliorem
Incluſum mecum, ſatis & mirabiliorem.
Nam ſi dives erat, qui viſum paſcere poſſet,
Ditior à longè, qui paſcere ſufficiebat
Senſibus intellectum multò nobiliorem.

Sicut

Sicut enim virtus intellectiva ſuperſtat
Senſibili, ſic &, niſi ſit proportio mendax,
Objectum objectum ſuperabit, & interiori
Luci doctrinæ, quæ illuminat intellectum,
Nunquam præſumet conferre ſoranea ſe lux.
Quod ſi contulerit temerè, ridebitur inde,
Tanquam ſi candela velit contendere Soli.
Hæc lux doctrinæ mecum concluſa nitebat,
Plusque fovebat eâ, quàm quoquam materiali.
Eleganter erat paries veſtitus amœnis.
Undique picturis diverſicoloribus, auro
Clarus, imaginibus tacitis præconia clamans
Artificis: Non hiſtoriam, ſed myſtica quædam
Demonſtrans illis, quorum deſcriptio plus eſt,
Hujus quàm libri capiat ſententia tota.

VI.

ILlic lectus erat, caro precioſus amictu,
Quo poſſet ſe velle premi quæcunque puella,
Si virgo, vim ſponte pati captaret in illo;
Quæ, nihil amittens, amiſſo flore notatur.
Audacterque tori fœdus dirumperet uxor,
Quæ, fructum faciens, ſobolem turbare timetur:
Orba viro refocillari gauderet ibidem,
Dum non conciperet, eremi frondentis amica.
Hìc flos virgineus, fructusque uxorius illic,
Hìc viduus ramus, foliis facientibus umbram
Gratus, ſed poſtquam deſertum deſerit, illic
Fertilitas metuenda, niſi tranſegerit annos:
Eligit hic flores, hic fructus, illeque frondes.

VII.

SEd quia crudelis, qui famam negligit: Illam
Vir prudens cupiat, quam ſuggillatio famæ
Non ſequitur. Sanè Virgo manet integra famâ,

Donec

Donec prodat eam partus, vel, prodiga lingvæ,
Divulget ſecreta minùs fidis ſociabus:
Vel ſi fors experta virum, deſiderat ultrà
Quàm ſit opus, nec jam ſcit diſſimulare, ſed ignem
Nunc geſtu, nunc ornatu, confeſſa profundum,
Circuit, & quærit oculis, quem diligit, & jam
Gaudia differri non ſuſtinet, intrat & exit.
Inconſulta quidem, quia, dum ſibi non cavet, illi
Nemo cavere poteſt, cœcoque furore vagatur.

VIII.

VErùm nupta quoad quædã minùs eſt oneroſa,
Atque quoad quædam majora pericula ſubdit.
Nupta poteſt, ubi vult, & quando, & qualiter ire,
Si juvenis, trahit unanimes, trahiturve per illas,
Seque theatrales ſimulat ludos adituram:
Si matura, forum pro multis rebus emendis
Eſſe frequentandum prætendit, deque minutis
Intromittit ſe, majora gerente marito.
Quod ſi jam non ſit humili de plebe, nec ipſam
His operam dare conveniat, delubra Deorum
Circuit, & modicum cenſet vicina valere,
Plusque remota placent, gaudet novitate viarum,
Quottidieque Deos creat, & miracula fingit
Votis digna novis, quô ſe promittit ituram.
Nec vadit, quia voverit; imò vovet, quia vadat,
Cum votum non cauſa viæ ſit, ſed via voti.
Ergò vovet, vel ſe dudum vovisſe fatetur,
Forſitan in partu, vel pro valitudine verâ,
Seu commentitiâ, cauſasque perennat eundi.
Relligione quidem lucrata fidem, ſed eâdem
Eſt ſibi peccandi captata licentia, quo fit,
Ut peccatricis excuſativa fides, &
Audax peccandi fiducia, ſint ab eodem.

Porrò

Porro ſi coitum furtivum, ut ſæpè, ſequatur
Fœtus, ſemper eum tibi ſponſus alet, quia ſemper
Filius uxoris, præſumitur eſſe mariti.
Econtrà durum eſt, ſolennisare, quod ille
Conculcat, ſed & ex nuptâ poterit quis habere
Majores inimicitias, quia pellice læſâ
Non tantum dolet hæc, quin rivali magis ille.
Ægra, ſed indemnis, injuria provocat ipſum,
Armaque juſta movet: qui ſi præpoſſit, amanti
Fortè ſuperveniens, deprenſoque & mutilato,
Purget adulterium, fiet commotio riſus
In populo, nec erit, qui compatiatur eidem,
Damna ſui paſſo, nec judex audiet ipſum.

IX.

AD viduam venio, quæ ſi tantùm timeat, ne
Concipiat, parat, unde ſibi procuret aborſum,
Immemorabilibus ſe potatura quibusdam,
Ut nondum nati fiat miſerabile buſtum:
Vel ſi jam natus clamore repleverit auras,
Accuſans matrem, ſubito perplexa ſtupore,
Et furiis agitata novis, improvida ſtringit
Averſis oculis teneri puerilia nati
Guttura, nec ſpirare licet, ſed deficiente
Aëre non reperit, quid cordi pulmo miniſtret,
Et moritur, nondum guſtato lacte parentis.
Proh ſcelus! O ſuperi! fit, ut inſons ſentiat hoſtem,
Cujus pars uteri nuper fuit, ut priùs inter
Manes, quàm vivos habitet: priùs experiatur
Mortem, quàm vitã, vix natus tempora complens,
Et matris peccata luens. Illi herculè, quæ ſic
Tractat inhumanè ſua viſcera, me malè credam,
Quin, irata mihi, dando ſit prona veneno.

Digitized by Google

X.

DIi bene! pro foribus ſi quorumcunque Deorũ
Projectus fleſſet, elemosyna publica ſaltem
Nutriviſſet eum, nullius & omnis alumnum.
Dic mihi, crudelis? dic, mater cruda, tyrannus
Quid plus fecisſet? deerátne pater? modò deſit,
Nunquid mater eras? ubi tu? non corpore deeras
Ut mater deeras. Utinam tu defueris! nam
Si tibi fatorum ſeries utrumque parentem
Subtraxiſſet, adhuc hodie ſupereſſet: at una,
Quam natura ſibi debebat ad omnia totam,
Quæ meritò ſperanda fores ſic tota futura
Plus ſua, quàm tua, quod materno fœdere velles
Nutricis gerulæque vices ſupplere, fuiſti
Una inimica ſibi, confundens omnia jura.

XI.

FElix, qui poſſet vitare pericula; ſed qui
Scandala vitaret, longè felicior eſſet.
Nam ſicut melius mortali corpore nomen,
Quod manet æternum: Sic ſunt pejora pericliſ
Scandala corporeis, cum ſint contraria famæ.
Felicisſimus eſt igitur, qui vitat utrumque,
Dum tamen optatâ posſit quandoque potiri.
Ha! quantis voluit rationibus inſinuare
Naturæ Pater & Dominus, ſe velle, quod usque
Propagarentur animalia. Nam quis amaret?
Quis tantum appeteret, niſi bruto ductus amore,
Tam fœdum coitum, niſi delectatio tanta,
Tamque potens eſſet genitalibus indita membris?
Sed potuit, ſcivit, voluit tantam indere, nosque
Oh utinam cupiamus eam, juxta quod oportet!

Legem

XII.

LEgem naturæ fixam ponamus, & illam
Circumſcribamus modò, quæ poſitiva vocatur,
In quâ peccabo, ſi fecero, quod prohibetur,
Non quia peccatum ſit; ſed quoniam prohibetur.
Rurſum præceptum ſi negligo, non quia juſtum,
Sed quia præceptum, Circumſcriptâ modò tali
Lege loquor, ne multa loquens immiſcuerim quid,
Quod contra legem poſſim dixiſſe videri.

XIII.

IN votis tunc eſſe meis plerumque fatebar
Felicem, ſi quis cognoſcere poſſet amicam:
Dum lævum capiti ſummitteret ipſe lacertum,
Ipſa ſuum lævo lateri dextrum daret, atque
Molle femur, ſed & una manus reſtaret utrique
Libera, ſecretis tractatibus apta quibusdam,
Pectora ſic eſſent ſibi juncta, quod ubera preſſam
Cordis amatoris circumſtarent regionem,
Fomentum ſtimulans, ſtimulumq; datura foventẽ,
Ad meditativam coitu ſuper evigilandam.
Oſcula denſa darent, ſibi colluctantibus, inter
Denticulos, lingvis, dulcem ſugente ſalivam
Alterutro, levi cum murmure, membraq; membris
Aptarent, multisque modis, multisque figuris
Juncti vagirent, circumvolvendo ſibi ſe,
Illecebrasque ſuas verbis augendo jocoſis.
Seque obſervarent, ut neuter præveniendus
A conſorte foret, vel præventurus eundem:
Quin ſimul ad Veneris lacrimas, quas motus amic^o^
Elicit, adducti, quaſi commoriendo jacerent,
Jam velut exanimes facti, ceſſare coactis
Motibus, & tantâ victis dulcedine, quantam
Tantorum completio dat deſideriorum.

Jamque viderentur animas efflare viciſſim
Alter in alterius faciem, virtute ſepultâ,
Et tandem ſenſim redeunte, reſurgere, vitâ,
Quamvis inviti, mallentque fuiſſe moroſas
Delicias iſtas, & gaudia tanta docere
Nullus inexpertus poſſet, nullusque doceri.
Sed quia nulli ſunt adeò conſortia chara,
Quin aliquando velit conſorte carere, juvabat
Nonnunquam ſolum ſpacioſo me dare lecto.

XIV.

ET quia non ſemper domibus delectat ineſſe,
Mos erat interdum, turbâ comitante meorum,
Conſpicuos phaleris in equos conſcendere: Fontes
Viſere, cum ſaltu de montis ventre ſcatentes,
Præcipiti rivo modò ſubvertente lapillum.
Fructiferis & odoriferis verſabar in hortis,
Olfactuque vagos florum venabar odores
Tempore vernali; proceſſu temporis, undas
Fluminis intrabam, cumque eſſem plus gravis illis,
Alterno motu me reddebam leviorem,
Brachia ſic jactare ſciens, & crura movere,
Quod, quamvis gravior, quamvis undæ leviores,
Lucrabar, levibus graviorem me ſupereſſe.
Et modò ſilvarum latebræ, modò prata placebant,
Nunc Bacchi, Cererisve nemus meditabar ubique,
Qualiter hic vel ibi jocundè vivere poſſem.

XV.

NAm, curis plerumque urgentibus, ut relevarer,
Nunc volucrum turmis mihi mos erat inſidiari,
Ventilabro moto paſſim, ſtabilone ligato,
Fila ſupertracturus eis, ſi forſitan illic
Oblectarentur, per equum deducere quasdam,
Donec in alatas caligas & pyramidales

In-

Intraſſent, minimè rediturae; geſticulando
Quasdam, ſicut agunt paſtores, cum joculantur.
Sicut & ad ſiſtrum ſaltat laſciva puella:
Sicut multotiens agitur furiis agitatus:
Sicut jectigat is, cujus nervi reſoluti.
Nunc quasdam laqueis, quasdam viſco retinere,
Quarundam viſus obtundere noctibus igne,
Ac improviſas involvere retibus illas.
Nunc avidis avibus pavidas terrere, vel illas
Quas fluvius, vel quas ager, aut nemus educat, hasq;
Prendere, quas nec penna celer ſublimat in altum,
Nec nemus occultat, nec aquae ſummerſio ſalvat.

XVI.

O Quicunque pias furtivâ fraude columbas
Talibus ingeniis, aliisve quibusque fatigas,
Cultrices Veneris, foecundas prole, gemellos
Omni menſe ferè ſibi multiplicare potentes,
Quaeſtu viventes, vaſtare domeſtica parcas,
Divitias menſae, quarum nec ſimplicitati
Parcis, nec domini, cujus ſunt, utilitati
Defers, ovantes comedens, quarum cibus ori
Non ſapit, & ſtomachum malè nutrit, durus utriq;:
Omnibus in templis anathemate percutiaris,
In quibus alma Venus colitur, ſeu filius ejus!

XVII.

NUnc mihi mos etiam venatum per nemus ire,
Et ſtrepitu, cornuq; cavo, & mordacib⁹ omnes
Sollicitare feras canibus, veſtigia doctis
Certa ſequi, & nunquam mutaturis ſemel acta.
Nunc illis arcere lupos, ut ſimplicitati
Parcatur timidarum ovium, vulpisque doloſae
Cautelas urgere, vicemque rependere fraudi.
Armatosque metu lepores retrovertere, damas
Ignavas laſſare citò, capreasque fugaces

Prendere, dum caput occultant, nullumq; videntes
Arbitrantur & â nullo ſe poſſe videri.
Nunc ad cuniculum, foveæ munimine tutum,
Mittere furonem, qui dente laceſſiat ipſum,
Donec in inſidias prætenſas retiolorum
Se ſtimulatus agat, malè cautus ab obſidione.
Nunc baculis brevibus clavelloſæ capitatis,
Confiſos levitate ſuâ, promtosque ſalire
De ramo in ramum, cirogrillos dijaculare.
Nunc quoque præcipites, inconſulteque ruentes
Expectare ſues, quos in venabula torrens
Impetus, atque furor agit, & temerarius auſus.

XIIX.

NUnc cervũ celerem, ſuccinctum cruribus altis,
Per denſos veprium ramos, ramoſa ferentem
Cornua, & auditum quod terruerat repetentem,
Vel morſu retinere canum, vel aquas adeuntem,
Cum longo curſu jam deficit halitus oris,
Speq; renascendi, ſeque ut refrigeret, haurit,
Non quod eum reparetve fugæ, reparetve labori;
Sed quod ſic fauces ſitibundas impleat, ut non
Confortetur eo ſua virtus, immò voluntas,
Inconſulta quidem. Nam quod ſorbetur ab illo
Torporem generat, cum quærere debeat illa,
Quæ faciant agilem: tunc mos violenter adire,
Ut vel ſe reddat ripæ, canibus lacerandum,
Vel mediis merſus ſuccumbat aquis, redimendo
Morte metũ mortis, gravior qui morte quibusdã.

XIX.

VEl certè poſtquam nuper per opaca repertum
Excivére canes, veſtitum fronde, latere
Quâ ſperabat eum venator præteriturum,
Expectareque, dum veniat, certâque ſagittâ

Fige-

Digitized by Google

Figere, moxq; canis, guſtato ſangvine, naſo
Credere, ſicq; ſequi, quoad uſque cubilia tandem
Intraret feſſus, quibus inventus caperetur.
Ne moreretur inutilis in luſtris, ſed in aulâ
Præteritâ jam morte nihil ſenſurus, adeſſet
Feſtivus, quia jam tutus, quia mors, ſemel uſa
Jure ſuo, non plus in idem fungetur eodem.

XX.

Nunc & erat mihi mos, piſces captare marinos,
Retibus hos, illos hamis, illosque ſagenâ,
Alatis quosdam caligis in pyramidalem
Conum protenſis: etiam nunc ad fluviales
Me convertebam, connexis vimine quosdam
Decipiens calathis, ubi cederet ingredienti
Virgula flexibilis piſci, reditumque paranti
Mordax ejusdem cuſpis præacuta negaret.
Quosdam decipiens aliquando tenacibus hamis,
Vermibus allicitos, quoſdam per linea fila,
Nodoſis connexa modis, involvere gnarus,
Dum lignumq; ſupernatat, & plumbum petit ima,
Néve vel aëriam ſaliens approximet oram,
Vel fodiens in viſceribus limi peregrinet,
Illudens nobis alienis ex elementis:
Et nunc angvillas, tonitru terrente minaci
Attonitas, & aquæ, ſe præcipitantis in arcam,
Curſum ſectantes, ſervare manu capiendas;
Nunc & dentato transfigere pectine, viſas
Cum face ſuccensâ nitidis de nocte ſub undis.

XXI.

SOntibus â curis per talia me relevabam,
Solos evitans decios, quibus alliciuntur
Multimodè multi, de quo ſuper omnia miror.
Quis furor eſt, homines exponere ſic ſua ſorti?
Cum ſolus caſus in talibus inveniatur.

Digitized by Google

Unde venire poteſt, hominem quod taliter urat
Tantus amor ludi? tamq; irrefragabilis ardor?
Quid tibi cũ numeris? quid habet numerꝰ numero plus
Quid curas, prior alteruter veniat numerorũ?
Mirari non ſufficio, quæro undique cauſam,
Non tamen invenio, niſi quod prætendo, ſequaces
Ludi, lucrandi ſolius odore moveri,
In ſummo cupidos, aliterq; acquirere ſegnes,
Et demum fures, ſi poſſit adeſſe facultas.

XXII.

VIdi multotiens ego, de patre paupere natum
Multiplicaſſe ſibi numiſmata, multiplicaſſe
Divitias alias, & agris agros cumulaſſe,
Atque domos domibus. Vidi contraria: Nam cui
Prædeceſſores acquiſierant bona multa,
Omnia diſpergens, luſor, temulentus, adulter,
Omnia paulatim vendebat, & omnibus uſus,
Tandem ad egeſtatem ſupremam deveniebat.
Vidi nonnullum, cujus poſſeſſio multa,
Nec diſpergebat vendendo taliter illam,
Sed minùs incautè faciebat deteriorem.
Forſitan in domibus plumbo tectis habitabat,
Oſtia de ferro ſibi, de ferroque feneſtræ:
Pro plumbo lateres mutabat, ferrea vendi,
Atque ſaligna loco poni faciebat eorum.
Expenſurus erat, quod de precio remanebat.

XXIII.

QUem conſuetudo mala, difficiliſq; relinqui,
Vini potandi, maturos duxit ad annos,
Et bona diſpergit, pro conſuetudine tali,
Quod delectat, habet, aliquatenus excuſatur.
Qui verò facit hoc, optatum ut paſcat amorem,
Ut, cui forma deeſt, deſuntq; moventia verba,
Saltem muneribus charâ potiatur amicâ,

Quod

Digitized by Google

Quod delectat, habet, aliquatenus excuſatur.
Sed qui pro ludo ſua diſpergit, nihil, unde
Excuſetur, habet: Nihil eſt inſanius ipſo.
Mercator prudens, non ſemper, non ubicunque
Vel vendit, vel emit merces quascunq;: ſed illas
Vendit tunc vel ibi, quando caræ, vel ubi ſunt,
Et quando vel ubi viles, emit has ibi, vel tunc
Cognoscitque bonas, & ineſt induſtria multa.
Sed locus & tempus deſunt luſoribus, & res,
Quæ fieri poſſit modò vilis, vel modò cara.

XXIV.

FOrtè tamen dices, quosdam præſtare quibusdã
Ex numeris, quibus eſt luſoribus uſus, eò quod
Cum decius ſit ſex laterum, ſex & numerorum
Simplicium, tribus in deciis ſunt octo decemque,
Quorum non niſi tres poſſunt deciis ſuperesſe.
Hi diverſimodè variantur, & inde bis octo
Compoſiti numeri naſcuntur, non tamen æquæ
Virtutis, quoniam majores atque minores
Ipſorum rarò veniunt, mediique frequenter,
Et reliqui, quantò mediis quamvis propiores,
Tantò præſtantes, & ſæpiùs advenientes.
His punctatura tantùm venientibus una,
Illis ſex, aliis mediocriter inter utrosque,
Sic ut ſint duo majores, totidemque minores,
Una quibus ſit punctatura, duoque ſequentes,
Hic major, minor ille, quibus ſit bina duobus.
Rurſum poſt iſtos ſit terna, deinde quaterna,
Quinaque, ſicut eis ſuccedunt appropiando
Quattuor ad medios, quibus eſt punctatio ſena,
Quæ reddet leviora tibi ſubjecta tabella.

Tabula I.

666						18
665						17
664	655					16
663	654	555				15
662	653	644	554			14
661	652	643	553	445		13
651	642	633	552	543	444	12
641	632	551	542	533	443	11
631	622	541	532	442	433	10
621	531	522	441	432	333	9
611	521	431	422	332		8
511	421	331	223			7
411	321	222				6
311	221					5
211						4
111						3

Digitized by Google

HI ſunt ſex & quinquaginta modi veniendi,
Nec numerus minor eſſe poteſt, vel major, eorũ.
Nam quando ſimiles fuerint ſibi tres numeri, qui
Jactum componunt, quia ſex componibiles ſunt,
Et punctaturæ ſunt ſex, pro quolibet una.
Sed cum diſſimilis aliis eſt unus eorum,
Atque duo ſimiles, triginta poteſt variari
Punctatura modis, quia, ſi duplicaveris ex ſe
Quemlibet, adjuncto reliquorum quolibet, inde
Producens triginta, quaſi ſex quintuplicabis.
Quod ſi diſſimiles fuerint omninò ſibi tres,
Tunc punctaturas viginti connumerabis.
Hoc ideò, quia continui poſſunt numeri tres
Quattuor eſſe modis; diſcontinui totidem: ſed
Si duo continui fuerint, diſcontinuusque
Tertius, invenies hinc tres bis, & inde duos ter:
Quod tibi declarat oculis ſubjecta figura.

Vide Tabulam Secundam,
paginâ proximè ſequente.

XXV.

RUrſum ſunt quædam ſubtilius inſpicienti
De punctaturis, quibus una cadentia tantùm eſt;
Suntq; quibus ſunt tres aut ſex, quia ſchema cadēdi
Tunc differre nequit, quando ſimiles fuerint tres
Prædicti numeri. Si verò ſit unus eorum
Diſſimilis, ſimileſque duo, tria ſchemata ſurgunt,
Diſſimili cuicunque ſuperpoſito deciorum.
Sed ſi diſſimiles ſint omnes, invenies ſex
Verti poſſe modis, quia, quemlibet ex tribus uni
Cum dederis, reliqui duo permutant loca: Sicut
Punctaturarum docet alternatio. Sicque

Digitized by Google

Tabula II.

Omninò Similes.					
666	555	444	333	222	111
Duo Similes et tertius disſimilis.					
665	664	663	662	661	
556	554	553	552	551	
446	445	443	442	441	
336	335	334	332	331	
226	225	224	223	221	
116	115	114	113	112	
Omninò Disſimiles Continui.					
654	543	432	321		
Discontinui.					
642	531	641	631		
Duo Continui et tertius discontinuus.					
653	652	651	621	521	421
542	541	643	431	632	532

Quinquaginta modis & ſex diverſificantur
In punctaturis, puncturæque ducentis
Atque bis octo cadendi ſchematibus, quibus inter
Compoſitos numeros, quibus eſt luſoribus uſus,
Diviſis, prout inter eos ſunt diſtribuendi,
Plenè cognosces, quantæ virtutis eorum
Quilibet esſe poteſt, ſeu quantæ debilitatis:
Quod ſubſcripta poteſt tibi declarare figura.

Tabula III.

Qvot Punctaturas, et qvot Cadentias habeat qvilibet numerorū compoſitorum.

3	18	Punctatura	1	Cadentia	1
4	17	Punctatura	1	Cadentiæ	3
5	16	Punctaturæ	2	Cadentiæ	6
6	15	Punctaturæ	3	Cadentiæ	10
7	14	Punctaturæ	4	Cadentiæ	15
8	13	Punctaturæ	5	Cadentiæ	21
9	12	Punctaturæ	6	Cadentiæ	25
10	11	Punctaturæ	6	Cadentiæ	27

Digitized by Google

XXVI.

NOn igitur ſolus ibi caſus ineſt. Ego verò
Dico tibi brevibus, caſu non poſſe carere,
Quod tibi, vel ſocio, concedat ſors meliorem.
Reſpondes, quod ineſt ludo ingenium jaciendi,
Excludens caſum? Sed ad hæc etiam tibi dico,
Si rectè jacias, modicum valet: Ac aliter, quàm
Rectè, ſi jacias, furtum committis, eoque,
A ludi ſocio, comperto, probra ſequuntur:
Juratur temerè, blasphemia multiplicatur,
Poſt probra percutitur cum pugno, dilaniantur
Crines, cultelli ſequitur temerarius ictus.
Solus ineſt caſus, quem non ſequitur, niſi ſtultus.

XXVII.

QUod ſi fortunam dicas? fortuna coæqua
Non erit erga omnes individuos; quia, ſi tu
Fortunatus es, eſt te fortunatior alter,
Nec potes ante omnes fortunatisſimus eſſe:
Nec ſcis fortunas hominum. Concluditur ergò,
Quod redit ad caſum, quē non ſequitur, niſi ſtult⁹.
Adde, quod in multis ludis, quicunque lucratur,
Non ſolus ſua lucra refert, dabit undiq; ſi non
Diſcolus eſt, & ei circumſtans quisque nocebit:
Quodſi perdiderit, non inveniet relevantem.
Unde fit, ut, ſi non plures fortuna ſequatur
Ludos, non poterit ludorum evadere damna.
Addeque, quod luſor ſe continuare lucrando
Neſcit, perdendo neſcit dimittere ludum.
Si fatum ponas? fatui, qui fata ſequuntur.
Nam, poſito fato, libertas arbitrii non
Eſſet; ſed libertas eſt aliquid: nihil ergò
Eſt fatum fatuum. Fatui, qui fata ſequuntur.
Solus ineſt caſus, quem non ſequitur, niſi ſtultus.

Non

Non dico, me non luſiſſe: Sed omnia libres,
Quæ vel lucratus fuerim, caſuve ſiniſtro
Perdiderim, ſummam ſi de majore minorem
Diminuas, non invenies, ſolidum remanere.

XXVIII.

EXcuſare tamen ſpeciem Ludi deciorum
Nituntur, cum quâ deducitur alea pernix;
Ipſam, dicentes, pauco diſcrimine rerum
Paſci poſſe diu, tanta eſt dilatio ludi,
Tanta lucri damnive mora eſt: ſucceſſio cujus
Tot parit eventus, quot jactus continet in ſe,
Fine tenus, ludus, nec ſolâ ſorte, ſed arte
Procedunt acies, & ineſt induſtria mira.
Præſertim cum multimodè mutatio Ludi
Quolibet in jactu diſponi poſſit, eò quod,
Sicut præceſſit jactus, diverſificantur
In punctaturâ propriè: quia ſchema cadendi
Nil operatur in hoc, ſed punctatura docet, quid
Luſoris faciat viſo ſolertia jactu.
Quomodò militiam diſponat? ibi legit, unde
Transferat? & quò? quam vel quas ter quinq; ſuarũ?
Et combinat eas, ne, ſi capiantur ab hoſte
Solivagæ, cogantur, ut ad ſua caſtra recurrant,
Et numeros perdant impenſos. Solivagasq;
Hoſtiles capit, ad ſua caſtra recurrere cogens,
Damnificansq; hoſtem numeris, quib⁹ egerat illas,
Diſtrictusq; præoccupat, anguſtatq; meatus,
Ut pateat via tuta ſuis ad circumeundum,
Atq; negetur eis, quibus adverſarius uti
Debet. Sed poſtquam præcluſerit omnia, néve
Deſcendat ſeries ſua præcipitantiùs æquo,
Exponit quasdam capiendas ſponte ſuarum,
Ut renovet, ſurſumq; reciprocet obſidionem,

Digitized by Google

Reſtauretq; ſuam, ſi rupta eſt fortè, catenam,
Donec tot teneat captivas, quot recipi vix
Poſſent in caſtris, etiamſi caſtra vacarent:
Vel donec, quæ tranſierant, ita præcipitatæ,
Sint, vel disſutæ, quod non poſſent retinere,
Si quam captivam regredi contingeret illuc.

XXIX.

NOn tamen ad votum numeri ſuccedere jacti
Sæpè ſolent, ſed deſtruitur ſeries magis uno
Perverſo jactu, quàm multis reſtituatur.
Unde fit, ut dubio caſu victoria nutet,
Et confundantur ſpes & metus, ac ſubigatur
Qui quaſi victor erat, desperatusque reſurgat,
Permutentque vices, faciles hinc inde triumphi,
Spe ſterili varioque metu dum concutiuntur,
Seque ſubalternant, modò victores, modò victi.
Verùm quantumcunque juvet, deducere pulcrè
Militiam ludi, vel quantum, ſuccubuisſe
Ludendo, pudeat, quantum quoque paſcere ludũ
Pro modico liceat, vel fortuitu ſine damno:
Quantum ſe recreent, quantóve levamine curas,
Tempus inutiliter ducendo, fallere poſſint:
Finalis tamen eſt luſorum intentio, lucrum.
Cujus habe ſignum, quod ad infortunia nullus
Sic debacchatur luſor, tantóve furore
Torquetur, quin mox ſua defervesceret ira,
Si, qui lucra tulit, ſibi perdita reddere vellet.
Nec minùs in modici quammulti perditione
Rixant inter ſe, ſed jurant turpiter, imò
Nomina blasphemant, quæ non meruére, Deorum.

XXX.

O Mortale genus! quæ te veſania pulſat?
Compelles ne Deos, contraria velle? quod optat
Alter luſorum, reliquo non poſſe placere

Con-

Conſtat: & alterutrum, ſi curant talia, lædent,
Atque ita non poterunt evadere turpia verba
Alterutrius eorum, cum nullâ ratione
Poſſit utrique ſatisfieri. Tu, qui modò perdis,
Dic mihi, quid debent tibi Dii plus, quàm ſocio? dic,
Si tibi fortunam ludi dare noluerint Dii,
Quid de jure tuo minuunt? injuria nulla eſt,
Non dare. Debueras potiùs ſibi grata negare
Thura, pari pœnâ purgando negata negatis:
Si tamen ex æquo cum Diis contendere fas eſt.
At quaſi ſis læſus, lædis quantum potes, armis,
Si poſſes, læſurus eos. Dic, improbe, lingvam
Quis docuit formare ſonos, quibus egrederetur
Mens tua, cum velles? nunquid ratio? rationem
Quis dedit, abſque Deo? quisquis fuit ille Deorũ?
Tu verò nullum excipiens, ingrate, laceſſis
Igne venenato lingvæ communiter omnes.
Tu brutis miſerabilior, quia bruta datorem
Laudarent, ſi poſſe loqui, Deus ille dediſſet.
Sicque tibi, non poſſe loqui, melius fuit. Ergò
Vel tu blaſphemare Deos, vel ludere ceſſa.

XXXI.

Eſt alius Ludus Scacorum, Ludus Ulyſſis,
Ludus, Trojanâ quem fecit in obſidione,
Ne vel tæderet Proceres in tempore treugæ,
Vel belli, ſi qui pro vulneribus remanerent
In caſtris: Ludus, qui caſtris aſſimilatur,
Inventor cujus jure laudandus in illo eſt.
Sed cauſam laudis non advertunt, niſi pauci.
Quàm ſubtile fuit, ſpecies ſex præmeditari
Saltus in campis, quos tantum multiplicare
Poſſemus, quod ab initio nulli duo ludi
Omninò ſimiles fuerint! Advertite pauci,
Quod, ſicut vultus hominum ſibi diſſimilantur

L Hacte-

Hactenus in tantū, quod non fuerint duo, qui non
Diſtingvi poſſent, cum tantæ diſparitatis
Cauſa ſit in Cœlo; (quia cœli nulla figura
Eſt alii ſimilis, tanta alternatio motûs,
Quem ſeptem faciunt, per bis ſex ſigna, Planetæ)
Et tamen eſt numerus finitus motibus ipſis,
Sicut & aſtrorum domini ſcripſiſſe leguntur:
Sic ludus, factus motus cœleſtis ad inſtar,
Eſt ex finitis ſaltus ſpeciebus in agris,
Infinita tamen eſt multiplicatio ludi.

XXXII.

SEx Species ſaltus exercent, ſex quoque Scaci,
Miles, & Alphinus, Roccus, Rex, Virgo, Pedesq;.
In campum primum de ſex iſtis ſaliunt tres,
Rex, Pedes, & Virgo. Pedes in rectum ſalit, atq;
Virgo per obliquum, Rex ſaltu gaudet utroque.
Antè retroque tamē tam Rex, quàm Virgo moven-
Antè Pedes ſolùm, capiens obliquus in ante, (tur:
Cum tamen ad metam ſtadii percurrerit, ex tunc
Sicut Virgo ſalit. In campum verò ſecundum
Tres alii ſaliunt, in rectum Roccus, eique
Soli conceſſum eſt, ultrà citraque ſalire.
Obliquè ſalit Alphinus, ſed Miles utroque
Saltum componit. Cœli veniamus ad inſtar.

XXXIII.

CAmpos, ſigna, modos ſaliendi, ſcito Planetas:
Rex eſt Sol, Pedes eſt Saturn⁹, Mars quoq; Miles,
Regia Virgo Venus, Alphinus epiſcopus ipſe eſt
Juppiter, & Roccus diſcurrens Luna. Quid ergò
Mercurius? nunquid non omnibus omnia? certè
Omnia Mercurius: cujus complexio ſemper
Eſt convertibilis ad eum, cui jungitur ipſe;
Sicut & aſtrorum domini ſcripſiſſe leguntur:
Aut quia Mercurii complexio frigida, ſicca,

Sicut

Sicut Saturni, licet intensè minus. Ex quo
Pervénit ad metam Pedes, ex tunc Mercurii fit,
Præſertim quia tunc ſalit ut Virgo, Venerisque
Mercuriique locus doctrinâ quæritur unâ,
Et medius curſus eſt idem ſemper eorum;
Sicut & aſtrorum domini ſcripſisſe leguntur.
Nobilis hic ludus, nulli ſuſpectus, & omni
Perſonæ licitus, moderatè dum modò ludat,
Dum modò quæratur Victoria ſola per ipſum:
Non lucrum, ne cum prædictis annumeretur.
Cum deciis autem qui primus luſit in illo,
Fœdavit ludum, langvebit namque Satelles
Immotus, niſi ſors deciorum moverit ipſum.
Nec fuit hoc factum; niſi, vel quia non niſi pauci
Ludere noverunt tractim; vel amore lucrandi.

XXXIV.

SUnt alii ludi parvi, quos ſcire puellas
Eſſe decens dixi: ſed parva movere pudebat.
Nuncque magis, quàm tunc, pudet illa minora re-
Quare prætereo ludos, ubi parva lapillos, (ferre.
Nunc bis ſex, nunc verò novem, capit una tabella.
Ac ubi ſunt bis ſex, capit ex hoſtilibus illum,
Ultra quem ſalit alteruter: nec ibi deciorum
Exigitur jactus. Ubi verò novem; bene ludunt
Cum deciis, & eis ſine, quando volunt. Capit autē
Unum, quem mavult, ex hoſtibus iſte vel ille,
Quandocunque poteſt tres continuare ſuorum.
Iſtos & ſimiles (nec enim modò proſequar omnes)
Prætereo Ludos, veniens ad nobiliores.

XXXV.

OH utinam Ludus ſciretur Rythmimachiæ!
Ludus, Arithmeticæ folium, flos, fructus, & ejus
Gloria, laus & honor, quia totum colligit in ſe
Ludus, ubi bellum diſponitur ordine miro.

Campis in geminis, congreſsio fit numerorum
Quattuor imparium, qui ſunt in limite primo,
Cum totidem paribus, qui limite ſunt in eodem:
Principio numeri numeris non connumerato.
Octoq; ſunt iſti patres utriusq; cohortis:
Auxiliatores nam parti dantur utrique.
Primo multiplices quia ducto quolibet in ſe
Quadrati ſubduntur eis, quibus ordine bino
Subſunt ſupraparticulares, adjicientes
Toti particulam, dictam patris â quotitate.
His alii ſubſunt, qui particulas ſuperaddunt,
Dictas â numero, vincente patris quotitatem,
Uno, ſed numero patris æquales quotitati;
Ordoq; binus eis. Numeros hinc inde tabellæ
Seu Scaci portant, & ſunt acies bicolores,
Ad diſcernendum; præſertim cum paritas &
Imparitas mixtæ ſibi ſint in utrâque cohorte.
Diſtingvuntur item Scaci tabulæve figuris:
Hi trigonis, hi tetragonis, illiq; rotundis.
Scilicet, ut Scaci numeros utrinque rotundi
Primos octo ferant: trigoni ſint octo ſequentes:
Tetragoni reliqui, niſi, quod duo ſunt ibi Reges
Pyramidalibus ex numeris. Ideò quoque Scaci
Pyramidales ſunt: & habet pars utraque Regem.
In caſtris parium nonus decimus locus unam
Perfectam dat pyramidem: ſenarius, in ſe
Ductus, pyramidi baſim producit eidem:
Totaq; pyramis eſt nonagenarius unus.
At locus imparium decimus bis pyramidem dat
Tercurtam, cujus baſim octonarius in ſe
Ductus producit, quam pyramidem coadunant
Centenarius & nonagenarius unà.
Iſtæ pyramides ſunt Reges his aciebus,
Et ſunt ex numeris quadratis omnibus ambæ,
Quod potes ex tabulâ ſubjectâ noſcere planè. Ta-

Digitized by Google


Tabula IV.

Acies Parium.		Acies Imparium.
2 4 6 8		3 5 7 9
Multiplices quadrati.		Multiplices quadrati.
4 16 36 64		9 25 49 81
Superparticulares		Superparticulares.
6 20 42 72		12 30 56 90
Superparticulares		Superparticulares
9 25 49 81		16 36 64 100
Superpartientes Pyramis		Superpartientes pyramis
15 45 91 153		28 66 120 190
Superpartientes		Superpartientes
25 81 169 289		49 121 225 361


Tabula V.

Pyramis perfecta.

Pyramis tercurta s. imperfecta; Desunt enim 1. 4. 9.



Basis cujus radix est 6.



Basis cujus radix est 8.

Digitized by Google

XXXVI.

OH utinam multis numerorum pugna placeret!
Quæ ſi ſciretur, placitam ſe redderet ultrò.
Sed Matheſis vix inveniet, qui jam velit ipſam.
Omnes declinant ad eas, quæ lucra miniſtrant:
Utq; ſciant, diſcunt pauci; plures, ut abundent.
Sic te proſtituunt, ô Virgo Scientia! ſic te
Venalem faciunt, caſtis amplexibus aptam.
Non te, propter te, quærentes; ſed lucra, per te:
Ditariq; volunt potiùs, quàm philoſophari,
Cum ſit eis operæ precium plùs, quàm eſſe, videri.
Garrit enim, qui nec dum nomina novit equorum.

XXXVII.

TEmpus erat, cũ Philoſophos Reſpublica quondam
Quærebat magnis in ſumptibus, utilitati
Communi vigilans, & eos tractabat honeſtè,
Ut ſibi conſulerent ſummis in rebus agendis.
Tunc viſum ſenioribus eſt in quâlibet urbe,
Ut pueros dociles ex patribus ingenioſis
Eligerent, mittendos ad gymnaſia, causâ
Diſcendi, quibus ad victum ſtipendia grata
Præſtarent urbs quæq; ſuis: & ibi faciebant
Diſcerni per judicium Phyſiognomicorum,
Quæ quibus ars diſcenda foret? Sic ars ſua cuique
Aſſignabatur: ſic juſſæ quilibet arti
Semper adhærebat; & in unâ quemlibet eſſe
Perfectum, ſat erat, nec eam mutare licebat.
Tunc viguére Artes: perfectè cognita quæque
Tunc erat, & poterat perfectè poſteritati
Tradi, ſcribendiſque libris pars magna vacabat.
Tunc Matheſes, ſolæ doctrinæ nomine dignæ,
Scitores habuére ſuos; tunc utilitatis

Quæ

Quæque quid afferret, clarebat apud ſtudioſos.
Qualiter in magno regnat menſura, ſciebant;
Qualiter in multo numerus: per quæ duo, motus
Demonſtrabilis eſt. Proportio conſona circa
Hæc tria verſatur, quæ quattuor ulteriores
Ad diſciplinas ſunt introductio certa,
Ut pote quæ claves portant ad eas reſerandas,
Declarantque vias cauſarum & principiorum.
Sed nunc vix modicum de quâlibet arte moderni
Deguſtant, & vix â limine quamque ſalutant:
Sic vacui veniunt ad eas, vacuique recedunt.

XXXIIX.

PHiloſophis, quoad hoc, prudentior eſt laicorum
Cura, miniſterium cœptum unoquoq; ſequente;
Et ſua connumerant inter proverbia: quod qui
Pluribus intendit nunquam ditabitur inde.
Nonne magiſterio deberent ergò vacare
Uni? majores operas ubi reddere oportet,
Quàm multis in mechanicis? ſed Philoſophia
Exilium patitur, & philopecunia regnat.
Reſtitit una tamen natarum Philoſophiæ,
Libera ſed non eſt, quoniam captiva tenetur.
Juſtitiâ vivente ſolet florere pudicum
Rhetoricæ ſtudium: nunc ad Prætoria proſtat,
Quò rudis adveniens, de rure vocatus ad urbem,
Cogitur ad lingvam proclamatoris emendam,
Ne ſit in emenda, tamen emptam non habet, imò
Nullus ei damnoſior adverſarius illo eſt,
Quem reputat cauſæ tutorem, ſive patronum.

XXXIX.

O Miſerande! tuam plus diligit ille monetam,
Quàm cauſam. Non curat enim, quantum tibi
conſtet?

 Dum

Dum modò lucretur, nec te fore ſuccubiturum
In cauſâ metuit. Proponit frivola multa,
Juraque ſubvertens, cauſam protelat in annos,
Ac immortalem litem facit, ut tua carpat,
Qui pacem, pro dimidio ſumptûs, habuisſes.
Ruſtice ſtulte, tibi multum eſt ſua cara Camœna,
Æquivoceque ſibi multum eſt tua chara crumena.
Ruſtice, componas! De componendo ſuum ne
Quæras conſilium, quia non eſt pacis amicus.
Sic te proſtituunt, olim juſtisſima, virgo,
Quæ non debueras exponi taliter iſtis
Captivis, qui te captivant, non modò captant,
Et quia non captant, captivari meruisſent.
O quàm ferventer tales hodie ſequerentur
Alchymiam! cujus fructus, ditatio tanta.
Sed præcellit in hoc aliis, quod nullus in ipsâ
Hactenus obtinuit, qui propter habere ſtuderet.
Sic dedignatur cupidos largisſima virgo.

XL.

Culpa tamen magna eſt Magnatū, quos hodiernis
Temporibus populus in quâlibet eligit urbe.
Quod ſi non fuerint populi concordia vota,
Aſſumuntur de populo quidam ſeniores,
Qui populi vice præficiunt concorditer unum:
Vel, ſi diſcordes ſint inter ſe, quia pro ſe
Quilibet aſpirat, nec ſe bene compatiuntur
Livor & ambitio, quamvis in utroque duorum
Eſſe ſimul posſint, tandem diſcordia concors
Fit, quia concordant diſcorditer, & fit ab illis
Tertius electus, qui fortè eſt pejor utroque.
Sic indignorum creat indignatio quendam
Fortè minùs dignum. Sic ſe collidere poſſunt,
A ſe colliſi, placeat cum neuter utrique.

Sicque

Sicque vides, quod, ubi corregnant ambitioſus
Livor, & ambitio livens, non ambitioni
Succumbit livor, ſed inebriat ambitionem.

XLI.

ILle, putas, qui ſic adipiſcitur hoc anabatrum,
Cujus habet turpem promotio reproba cauſam,
Qui non pro meritis, ſed ut invidiæ ſatagatur,
Præficitur, populo bene ſit facturus & urbi?
Abſit! ſed ſimiles factoribus & ſibi, ductus
Irrationali quâdam ſimili ratione,
Factus ab indignis, indignos promovet: & non
Attendit meritum, patriæ nec penſat honorem,
Indigenas ut amet, & honoret, præcipuè quos
Exornant mores, ditat ſapientia, dotat
Eloquium: ſed eos ſublimat, quos ſibi jungit
Linea Sangvinis, aut contractus amicitiarum,
Aut ſpes obſequii. Sanè promotor amici
Eſt laudandus, ſed plerumque pecunia talem
Nectit amicitiam, quæ nec meruiſſe videtur
Nomen amicitiæ, niſi detur ei per abuſum.
Quod ſi rem Dominus tali committit amico,
Furtum, in re Domini, talis committit amicus.
Ultio digna quidem: nec enim decreta Deorum
Sic immutari poſſunt, quod ſordida præda
Procedat, vel ſit laudabilis exitus ejus.
Iſtos indignos indignus promovet iſte,
Indignisq; ſuis poſtponit amabiliores,
Indignosque ſuos ditando, præordinat illos
Ordine perverſo, qui palpant blandiùs ipſum.
Culpaq; ſic magna eſt Magnatum, quod perierunt
Artes: nam quoniam ſublimant deteriores,
Deſperant multi, nec ſcire ſtudent, ſed habere.

XLII.

SEd quia de Ludis fiebat ſermo, quid illo
Pulchrius eſſe poteſt exercitio numerorum?
Quo divinantur numeri pleriqueper unum,
Ignoti notum, ſicut ludunt apud Indos,
Ludum dicentes Algebræ, Almucgrabalæque?
Inter arithmeticos ludos pulcherrimus hic eſt
Ludus, arithmeticæ praxis; deſcriptio cujus
Plus caperet, quàm ſufficiat totus liber iſte.

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS
DE VETULA
Liber Primus explicit.
INCIPIT SECUNDUS,
in quo aſſignat cauſas, quare mutaverit modum ſuum vivendi.

I.

TAlibus atque aliis, ludo excepto deciorum,
Sontibus â curis cùm me relevare pararem,
Non tamen â curâ charæ relevabar amicæ.
Solum felicem ſuper omnes eſſe putabam,
Qui, quotiens vellet, cognoscere poſset amicam:
Solum laudabam, cui vim natura dediſſet,
Ut, quotiens vellet, cognoſcere poſſet amicam.
At nunc ſemiviros laudo, quibus has modò vires
Componentibus â primis natura negavit,
Sive quibus, ſolitis thalamos violare pudicos,
Deprenſis in adulterio, genitalia membra
Iracunda manus ſponſi violenter ademit:
Sive quibus ruptura ſyphac ita magnificari
Cœpiſſet, quod non prohiberet in oſcea caſum
Inteſtinorum, vel tantus ad ova veniret
Fluxus aquæ putris, ſtomacho mandante, quod
Herniam patiens, non poſſet onus tolerare: (ultrà.
Aut

Aut aliis cauſis ita computreſceret ovum,
Ne fieri posſet, quin crudeli medicinâ
Ova recidisſet medici reprobabilis uſus.

II.

IStos ſemiviros nunc laudo: ſi licet iſtos
Dicere. Nam dubium, an ſit ſemivir iſte, vel iſta?
Iſta quidem non eſt, quia vulvam non habet; iſte
Non eſt, quem talis defectus devirat. Ergò
Sit neutrum; tamen hoc nihil ex animalibus unquã
Eſſe poteſt, niſi ſit, hic aut hæc. Si nihil horum,
Eſt ſpado: jam non eſt animal; nec enim ſine ſexu
Eſſe poteſt animal. Igitur non eſt animal. Sed
Non eſt non vivens. Ergò ſit planta. Quis unquam
Vidit fruſtratam fructu, vel ſemine, plantam?
Quod plus eſt, quis vidit eam, radice carentem?
Quod radice caret, etiam frondeſcere neſcit.
Sperma foret ſemen, & fructus filius, atque
Radix teſticuli, frondes circumdata ſilva
Mento; quâ quicunque caret, ſuſpectus habetur,
Ne ſit caſtratus, vel frigidus. Eſt honor ergò
Barba viro, teſtis virtutis teſticulorum,
Spermatis augmenti ſignum, fiducia fructus.
E contrà ſi teſticuli deſunt, generandi
Spes periit, quia ſperma deeſt, barbâq; caret, vel
Eſt cariturus eâ, folium quia defluet ejus.
Eunuchus porrò, cum non ſit fœmina, non vir,
Non animal, non planta, quid eſt? non eſt ſine vitâ:
Ergò, quid eſſe poteſt? nihil eſſe poteſt, niſi mõſtrũ.

III.

MOnſtrum Grammaticæ, quia declinabile cum ſit
Cum caſu, nullus ſibi congruit articulorũ,
Cum ſibi præponi nullus per ſe queat, ut ſit
Hic, aut hæc, aut hoc, nec ſit Commune, nec Omne.

Nec

Nec modicum miror, cum non habeat Genitivum,
Cui ſua congreget? & quare placeat ſibi tantum
Ablativus Caſus, diſpliceatque Dativus?
Et quia nullius fieri conſtructio partis
Hâc cum parte poteſt, non eſt oratio, quæ ſit
Huic parti totum, ſed pars eſt, & ſine toto:
Abſque relativo ſibi respondente relatâ.

IV.

UT non ſolius ſit monſtrum Grammaticæ, ſed
Inveniat Dialectica, quid miretur in ipſo:
Non ſolùm, quod abeſt alterna relatio; ſed quod
Sic eſt mirivocũ, quod non cadit in Genus, & quod
Non cadit in Speciem: cui non Individuorum
Quicquam ſubjicitur, cui carnem dividat; & quod
Nec Species ſpecioſa, Genusve ſibi generoſum,
Degener imò genus, ſpecie ſine, dividit ipſum
A cunctis, quibus eſt cordi generatio. Cujus
Et Genus & Species ſunt monſtra, magis quoque monſtrum.

V.

MOnſtrum Rhetoricæ, quia Judicis officio ſi
Fungatur, crudelis erit; Si Rhetoris, utens
Themate truncato, cauſam non inſtruet, & ſic
Non perſuadebit. Nec enim facundia grata
Ejus, qui ſtandi perſonam, judice coram
Non habet, eſſe poteſt, quocunq; ſit uſa lepore.
Ac infœcundi eſt omnis facundia pauper.

VI.

RUrſus apud Matheſes indemonſtrabile monſtrũ,
Cui de ſubjecto concludi paſſio per ſe
Nulla poteſt, nec diffinitio ponitur ejus
In medio; quia deficit in medio, neq; novit
Credere ſuppoſito, vel conſentire petito,

Et

Digitized by Google

Et nulla dignitatis virtute juvatur.
Et quia bis duo ſunt, ubi demonſtratio regnat,
Præcipuè: Motus, Numerus, Menſura, Sonuſque:
Invenies in eo, quo ſit per ſingula monſtrum.
Deficiente ſibi numero pare, cum pare ſe non
Menſurare poteſt, motumq; perhorret amicum,
Quem ſi tentarit, tandem lyra murmurat ani.

VII.

MOnſtrum Naturæ rerum mutabilium, quæ
Cum ſit principium motûs, mutabilitatem
Tantam non novit, nec tantam prodigioſam,
Sicut in Eunuchum, ſi mutatus fuerit vir,
Solo in quo natura poteſt vacuum reperire,
Aut infinitum, primum propter ſpoliatos
Folles, & reliquum propter fines mutilatos.

VIII.

MOnſtrum Naturæ, ſed præcipuè, quoad illam
Partem, quæ corpus regit humanum: quia ſanꝰ
Non eſt, aut æger, impoſſibiliſque reduci
Ad medium, quia deficit in medio, neque ſupplet
Defectum medicina suum: complexio cujus
Eſt ſine complexu, nec jam complexio dici
Digna, per antiphrasim niſi ſit complexio dicta.

IX.

ESt etiam monſtrum Morale, niſi quia mores
Dicendi non ſunt, ubi tam perverſa voluntas
Regnat, tam nequam, tamq; invida. Nam ſtatus ejꝰ
Tam vilis, nequit invidiæ livore carere.
Nec bene velle poteſt, qui nequior eſt ſuper omnes:
Nam manſuetudo, morum eſt ſpecialis alumna.
Et quia cum mulis id habent commune ſpadones,
Quod ſteriles ſunt ambo, ſic homines ſpado vincit
Nequitiâ, ſicut animalia cætera mulus.

Et

Digitized by Google

Et dicunt etiam, quod naturaliter omnis
Eſt piger eunuchus, & quod timidusque rapaxq́;
Quod piger, & timidus; præſumentes ideò, quod
Vultus rugoſus, vetulæque ſimillimus, & vox
Exilis, perhibent animum non eſſe virilem.
Quodq́; rapax, per idẽ; quia qui timidusq́; pigerq́;,
Sic in egeſtatem labi timet, ut latro fiat.
Porrò rapax, timidus, nequam, piger, invidus, in ſe
Virtutem quod habere queat, non eſt leve credi.
Præſertim, ſicut ſcribunt Ethici, quia virtus
Nulla poteſt, ſi non omnes habeantur, haberi;
Nec cum tot vitiis habitare vel unica poſſet.
Sanè ſunt aliqui, qui caſtos eſſe ſpadones
Propterea reputant, quod non ſunt luxurioſi:
Sed non ſunt, quoniam caſti ſunt, qui patiuntur,
Nec deducuntur: qui verò non patiuntur,
Sunt inſenſibiles, multum â virtute remoti.
Quod ſi de ſtudiis, quod plus reputatur ineſſe,
Non inſit, nec ineſt, quod ineſſe minùs reputatur.

X.

Ampliùs eſt Metaphyſicũ monſtrũ ſpado; nã nõ
Solùm impoſſibile eſt, quòd perducatur ad a-
Sed nec adeſt ipſi quæcunque potentia, ſive (ctum
Longinquè præcedens actum, ſive propinquè.
Prætereà ſubjectum non habet, eſſe vel in quo,
Vel de quo dici poſſit: nec taliter unum
Eſſe poteſt, quod multiplicatio ſurgat ab ipſo.

XI.

POſtremò monſtrum nihilominus eſt apud illos,
A quibus inveſtigatur natura Deorum,
Quos imitatores dicunt Legis poſitivæ,
Qui ritus ac hiſtorias veterum venerantur:
Arbitrio gens quæque ſuo diverſa ſecuti.

Monſtrum

Digitized by Google

Monſtrum Faſtorum, quia ſi spado fortè Sacerdos
Efficiatur, erit ſic iſte, vel iſta Sacerdos,
Ut dici posſit ita neutrum, ſicut utrumque.
O quicunque Deus, cujus templo dominatur
Tam deforme pecus, cujusque effœminat aras,
Si Deus eſſe poteſt infortunatus, eorum
Infortunatisſimus es! pro quo reperiri
Non potuit de tot modò millibus integer unus.
Rictus ei, non riſus inest, & ſacrificari
Deberet certè potiùs, quam ſacrificare.
Cui tamen ex ſuperis holocauſtum tale placeret?
Turpe, pecus mutilum, quod porcâ fœdius, hirco
Fœtidius? niſi fortè ſuas ut liberet aras,
Quas miſerabiliter ementulus occupat iſte,
Compenſare velit, clavumque retundere clavo,
Turpe miniſterium redimit dum victima turpis.

XII.

MOnſtrum Faſtorum, quem cum fas pontificare
Nusquam ſit, minùs eſſe poteſt ibi fas, ubi rerũ
Summa gerendarum reſidet cum Pontificatu.
Quod legiſſe potes in quodam codice, cujus
Omnia ſupponens, nihil omninò probat auctor.
Ac ipſum pro lege tenent gens credula quædam,
Exemplar quibus eſt vivendi vita priorum;
Eſtque fides ſua, quod ſequitur primogenituram
Jus benedicendi. Benedictus & â patre tali
Fit Dominus fratrum; talesque vocant Patriarchas,
Nec falluntur in hoc, veram probat eſſe fidem res,
Nam plerumque vident, dominari fratribus illos,
Quos aliis prætert patrum benedictio, terræ
Semper abundantes pingvedine, roreque cœli.

XIII.

IMbenedicibilem Lex innuit illa ſpadonem,
Exemplo quodam famoſo. Nam ſpado cum ſit

Voce

Voce Jacob, manibus non eſt Eſau, neque tutus
Comparere poteſt coram patre, ne pater ejus
Colli nuda manu pertractet, & abſque piloſis
Pellibus inveniens, putet, illudi ſibi velle,
Ac indignatus maledictum pro benedicto
Inducat, quoscunque cibos præſentet eidem.
Iratusque repellat eum, paſſique repulſam,
Et deſperantis facies, ignara rubere;
Palleat, & demum deſit benedictio, tantum
Exoptata diu, tanto conamine, tamque
Ferventi deſiderio quæſita, licet non
Quæratur pro ſe, ſed cæcus amor dominandi
Concomitatur eam: quam qui ſic acriter ambit,
Intendit, prodeſſe parùm, multumque præeſſe.

XIV.

Heu ſi ſubjectos habeat, correctio quorum
Spectet ad ipſius examen, quàm malè lapſis
De paſtoris erit proviſum conditione!
De lapſu carnis dico, cujus quia motus
Hic ſpado non ſentit, labentes deſpicit: unde
Tale nihil paſſus, paſſis non compatietur.
Oh utinam, quia non attendit onus, ſed honorem
In Prælaturâ, nunquam pertingat ad illam!
Quem tamen infauſtè Moyſes ſi pontificaret,
Veſte videretur Aaron, vultuque Maria.

XV.

Talia monſtra modò laudo, quia vivere poſſunt,
Fœmineoque carere toro. Quamvisq; ſolerem
Felices ſolos coitu reputare potentes;
Felices ſolos reputo, ceſſare coactos.
Venerit unde mihi ſubitò mutatio tanta,
Diſcite vos, quos ferre jugum faſtidit amoris.

Unus

XVI.

UNus erat toto naturæ vultus in orbe,
Virginei floris decor, & decus: unica ſexûs
Gloria fœminei, quæ naturalibus, & quæ
Gratuitis dotata bonis florebat, eique
Fortunæ bona non deerant; adeò quòd, in unam
Tot bona perſonam concurrere, non meminiſſem.
Tres credi poterant in eâ certaſſe ſorores
Muneribus: Natura potens, & Gratia larga,
Non expectatis meritis, Fortunaque, nulli
Conformis, largis ſed avara, & prodiga parcis.
Quamvis detur in hâc inſtantia virgine, cui se
Reddiderat, præter ſolitum, multò meliorem,
Quàm multis aliis, multis aliis meliori,
Largifluè ſibi dans & opes, & nobilitatem.
Cui natura tamen dederat longè meliora
Corporis ac animi bona, ſcilicet hinc, quia nulla
Conferri poterat ſibi moribus, ingeniove.
Inde quòd in toto, prout æquore clauditur, orbe,
Non erat ulla ſuæ ſimilis præſtantia formæ,
Non erat ulla ſuæ ſimilis dulcedo loquelæ.
Quid? quod in omnibus his addebat Gratia tantũ,
Quod faceret ſemet ipſis meliora videri
Singula, judicium juſtum vincente favore.
Certius & quamvis oculorum judicium ſit,
Non tamen in lingvâ ſeu pectore ſic favor ipſe
Vincebat, ſicut in formâ: non aliorſum
Sic apparebat victoria. Forma moveret
Hippolytum, ſi non oculos ſibi tollere vellet.

XVII.

VErùm cur ad eam laudandam particulatim
Deſcendiſſe velim? cur ad præconia, cuique
Debita membrorum, modò deſcribenda laborem?

Omnis eis minor eſt deſcriptio, ſingula luſtres;
Singula ſunt meliora, ſatis quàm dicere poſſem,
Sed quoniam meminiſſe juvat tòt divitiarum
Formoſæ dotis, modicum per ſingula libans,
Membra ſigillatim diſcurro, ſingula mirans,
Ad quæ luſtrator oculus permittitur ire.
Singula contendunt ſe vincere; cum tamen unum
Omnibus aſpectum præſto ſimul, omnia ſumma
Pace reformatâ & ſopitâ lite quieſcunt.
Sic ſibi reſpondent alterno cuncta nitore.

XVIII.

Sllva capillorum ſupereminet, atque rotundum
Circumplexa caput, claro præfulgurat oſtro,
Fulgori cujus radians color invidet auri.
Sed poſtquam dominam, nutrita diu, gravat, illam
Colligit in torquem, ſub quâdam lege cöercens.
Hâc â lege tamen remanent ad timpora, quidam
Exemti brevitate ſuâ, criſpedine rarâ
Connexi, volitantque vago ludente reflexu.
Frons ſpacioſa, parum convexa, manus Deus am-
Inquâ planandâ poſuit, non ſufficiente (bas
Alterutrâ manuum: candorem lilia cujus
Non vincunt, non æquat ebur, non florida cygnus,
Nigra ſupercilii, ſinuoſaque linea criſtæ,
Exigui declivis utrinque ſuperjacet, inter
Vicinos quodam limato limite pacem
Concilians, dum jure ſuo concedit utrique
Uti, diſtingvens â fronte ſitus oculorum.
Inter utrumque tamen, ubi fronti continuatur
Naſus, tam naſo, quàm fronte, ſuperciliisve
Plus depreſſa, parum diſcriminat area quædam,
Nuda pilis, candore potens æquare liguſtra.

Sub-

XIX.

SUbſidet his regio ridens & læta, gemellos
Quæ ſpeculatores fovet, hoſpitio ciliorum
Intus pupillam vario cingente nigellam.
Exhilarat circumgyrata rotatio vultum.
Occultans oculos circumſtat ibi ſeriatim
Palpebra, ne lædat extrinſeca cauſa ſuperbos
Ac indignantes, & ſemiſphæria nutu
Claudit laſcivo, qui munera ſpondet amoris:
Pure nec, aut lacrimis oculorum ripa madeſcit.
Naſus in exceſſum nullum ſe transvehit, ut ſit
Longus, vel curtus, aquilus, ſimusve, nec ullam
Tractus in obliquum portendit proditionem.
Nec ſtillas cerebri naris cava pandit hiatu,
Nec libertatem negat halitui, neque ricta
Paſſibiles auras triſti fœtore minatur.
At modicum conſurgit apex hinc inde genarum,
Punica malorum vincens fragmenta colore,
Lilia, mixta roſis, in eo certare putares.
Conficiunt etenim niveus roſeuſque colorem
Unum, ſic tamen ut rubeus vincatur ab albo.
In quibus & quædam, dominâ ridente, creantur
Foſſiculæ, tantum quæ manſuetudinis addunt
In lætâ facie, quod conceſſura videtur,
Quicquid eam ſibi conveniens perſona rogaret.
Et modò cæſaries modicas, in ſeque retortas
Contegit auriculas, modò caſtigatur ab illis.

XX.

BUcca brevis, ſolâ brevitate notanda, niſi tunc
Cum ridet: Tunc namq; ſtatū redit ad mediocrē.
Labra tument modicum, ceraſorum juncta rubore
Collectorum, acri poſt imbrem ſole ſecuto.

Digitized by Google

Quæ cum ſint inverſa parùm, ſe velle parare,
Seq; offerre videntur ad oſcula ſuſcipienda.
Sed, dominâ ridente, loquentéve, ſéve cibante,
Intus cujusdam ſpectabilis ordo catenæ,
Clarior argento vivo, ſe viſibus offert,
Diſpoſitis ibi dentibus, in ſerieque locatis,
Firmis, conſertis, æqualibus, atq; minutis.
Terminus inferior faciei, mobile mentum,
In collem, ad collum collàtum, colliculumq́;
Ad labra ſe tollit, ad utrumq́; tamen moderatè.
Collum tam planum, quàm plenum: non ibi nervi
Chorda riget, non vena tumet, cujus cutis omni
Asperitate caret, nec fœdat eam maculoſa
Menda, ſed eſt nive candidior, niſi credulitatem
Frangat hyperboleos laxata licentia tantam.
Blanda manus facilem ſe præbet ad omnia, cujus
Eſt digitus gracilis, plenus, tornatilis, æquus,
Proq; modo longus, vola lactea, lucidus ungvis.

XXI.

COetera ſunt præcluſa mihi, tegit omnia veſtis.
Divinare tamen licet, & per viſa gradatim
Ad non viſa venire; putando, quod hæc meliora
Sunt illis viſis, & quod captabiliora.
Sed conjecturâ cum ſint mihi cognita ſolâ,
Sub quâdam gaudent pertranſiri brevitate.
Pectore compreſſo, ſurgente tumore gemello,
Ubera conjicio duo parvula, dura, recurva,
Ac ſi complexu ſe velle premi fateantur,
Et complexuro ſe velle occurrere ſponte.
Brachia longa quidem, ſubtilia, mollia, plena;
Deſuper acclives humeri, rectique retrorſum,
Corpus procerum, pingves habitudine lumbi,
In trophio graciles; clunes humiles ſatis amplæ.

Mobi-

Digitized by Google

Mobilitas crurum, curvato poplite: peſque
Tam brevis, in medio ſinuoſus, rectus in ante.
Præ cunctis perhibent partem pollere cupitam.
Et puto, quod nullus cultus, nullusq; paratus
Aptior eſſet ei, quàm ſi ſine veſtibus eſſet.
Oh utinam nudam videam, ſi tangere nudam
Non eſt fas, ſaltemq; ſemel, ſi non datur ultra!
Parva locutus ſum, quia ſufficientia verba
Non ſunt ad tantam ſpeciem: Deſcriptio nulla
Notificare poteſt, quantis, ſi vellet amari,
Deliciis, quantísve jocis, ſe redderet aptam.

XXII.

HAuſerat hanc oculus cupidus meus invidioſam,
Et collaturo ſuggeſſerat omnia cordi.
Cor nimis audacter cœpit ſperare, quod illam
Aut verbis, aut muneribus convertere poſſem.
Et, præter ſolitum, cum verbis munera danda
Diſpoſui, ſi non, oblata priùs, valuiſſent
Verba, quibus totiens tot pectora ſollicitaram.
Abdita paulatim ſcintillula crevit in ignem
Immenſum, totas jam poſſeſſura medullas.
Sed locus & tempus non concurrére loquendi,
Præſertim, quia nimirum materque paterque
Excubiis multis, & ſollicitudine multâ
Vallabant ipſam, ne ſubduci ſibi poſſet,
Blanditiis ſi fortè levem concederet aurem.
Quid facturus eram? quærenda fuit mediatrix,
Mutua verba loqui quæ poſſet utrique viciſſim,
Et facunda foret, & ſuſpicione careret,
Ambos ut, nullo mirante, liceret adire.

XXIII.

TAlia cum vigili curâ meditarer apud me,
Totque revolviſſem Vetulas, & ſæpè, diuque

Digitized by Google

Singula librasſem, luſtrans urbem ſpacioſam:
Occurrit tandem, quòd erat paupercula quædam
Lingvipotensque, meæ vicina ſororis, apud quam
Sæpe dabatur ei cibus, intuitu pietatis,
Et fuerat quondam dilectæ ſedula nutrix.
Hanc, ratus, eſſe mihi præ cunctis utiliorem,
Aggredior verbis, propono probabile thema,
Plurima promitto, bene ſi celaverit: & ſi
Prodiderit, ſubjungo minas. Rationibus illa
Se primùm excuſat, ventura pericula pandens.
Me miſeram! dicit, rem ſi ſciret pater ejus,
Quid factura forem? cujus mortis genus, aut quas
Exciperem pœnas? etiam tu fortè negares,
Te juſſiſſe mihi, nec ſubſidium mihi ferres.
Obſecro per ſuperos, ne ſollicitaveris ultrà
Me ſuper his, in pace meam finire ſenectam
Me, rogo, permittas; Magis eligo, vivere tuta,
Sufficiatque mihi paupertas hæc mea, paucis,
Quos mihi concedunt fatalia penſa diebus,
Quam pro divitiis adeam cum ſangvine manes.
Eſto, quod evadam: Magis eligo, vivere tuta,
Quàm metui tantò tua me promiſſio ſubdat.

XXIV.

TUnc ego, quantò plus reddebat difficilem ſe,
Tantò ſpem per eam vincendi concipiebam
Majorem, tantò plus inſtandum fore, ducens;
Et monſtrans, quòd res â patre, ſuâ ſine culpâ,
Sciri non poterat: (nec enim ſe proderet ipſam
Tam bona, tam prudens, tam circumſpecta puella)
Attendi tandem, quod eam promiſſa movere
Non poterant ſine muneribus: tunc exuo morem,
Munera multiplico, ſatagens promittere plura.
Sic urgebat amor, ſic ad mea fata trahebar.

Ergò,

Digitized by Google

Ergò: dare inſolito, dandi modus abfuit omnis,
Do capram vini, do bladum, doque legumen,
Do pernæ partem, do peplum, do tunicam, do
Palliolum, do pellicium, do ſubareos, do
Tres ſpecies telæ, pro camiſiâ faciendâ,
Quarum quæ melior, collum tegit, atque lacertos;
Pectus habet mediam, ſed renes deteriorem,
Parsque datur pejor parti, quæ cuncta lucratur.

XXV.

MOx, teſtata Deos, furiis ſe devovet; optat
Damna ſibi, niſi vota fideliter exequeretur.
Itque reditq; frequens, & narrat plurima: primò,
Cum quantâ fuerit cautelâ nacta frequenter
Horam oportunam, quotiensque retenta timore:
Qualiter intrarit nihilominùs, & modico pòſt
Qualiter orſa loqui, qualem prætendere cauſam
Norit, cur ſpacio tanto non vidit alumnam,
Adq; ſuum quo propoſitum deſcenderit auſu;
Qualibus attulerint etiam me laudibus ambæ.
Addit præterea, qualem ſit paſſa repulſam,
Sed tamen urbanè: Sic me miſerum modò terret,
Spem modò dat tenuem. Quod ſi quando repre-
Tu ſic debueras vel ſic dixiſſe, fidem dat, (hendo,
Quod ſic dixisſet, teſtesq; Deos vocat omnes,
Quod non mentitur. Quid credam, neſcio: credi
Cūcta necesſe tamen. Credo, quia credere oportet.
Sic me deducit verbis, per tempora multa.

XXVI.

FIne ſuo res quæq; patet. Poſtquam vetularum
Mendacisſima me, totiens ambagibus actum,
Jam non ulteriùs poterat producere; quodam
Ingenio ſimulavit eam circumveniendam.
O præchare meus! dixit, fiducia vitæ

Summa meæ, ſpes ſubſidii, baculusq; ſenectæ!
Perpendi, quod te ſuper omnes diligat iſta
Virgo, ſed nullâ id poſſet ratione fateri.
Quare fraude piâ (ſed me miſeram, miſeram me!)
Decipienda mihi eſt. Faciam, quod nocte notandâ
Lota caput, comenda mihi retinebitur extra
Maternos thalamos, cunctisq; ſopore ſepultis,
In camerâ parvâ, quæ dextra eſt ingredienti,
Quâ dormire ſolent ancillæ, ne pater ejus
Rumpat, eâ thalamos introgrediente, ſoporem;
Reclinare caput, compellam: tuq; paratus
Poſt nonam, noctis tenebris nondum tenuatis,
Advenies. Reſerato fores; & merſero lumen
Lampadis, ac tacitè, paulatim cardine verſo,
Suſtentando quidem, ne perſtrepat, ingredieris.
In lecto nudam invenies: tunc impiger eſto;
Si ſemel obtineas, fruſtrabere poſtea nunquam.

XXVII.

CRedulus, & cupidus condictam præſtolor ægrè
Noctem, multa timens, & mecum multa revol-
Ergò die facto, quo nox erat illa futura, (vens.
Abluo me modicum, barbam pubemq; recido,
Dansq; brevi, poſt meridiem, mea membra ſopori,
Præparor, inſomnem noctem ducturus: Et inde
Me cibo ſorbilibus, me muſto poto recenti.
Hinc ne dormitem, me libris apto legendis.
Providus antè tamen, horologium moderandum
Duxi, quò veniens fieret mihi certior hora.

XXVIII.

QUæ ſimul ac venit, candelæ ſuffoco lumen:
Incautus gradiens, impingor in oſtia, frontem
Poſti collido, fœdatus ſangvine fuſo,
Turbor, & offendor, offenſus præcipito me,

Per-

Perque gradus ſcalæ deſcendo non numeratos.
Tunc furiis me devoveo, furiis agitandum
Me reputo; nec enim niſi rarò ſola venire
Iſta ſiniſtra ſolent. Superos tamen invoco, fruſtrà
Multa vovens, faviſſe meis ſi ſenſero votis.
Verè non veniunt, niſi rarò, ſola ſiniſtra
Atria nam ſolitus ſervare rudis, neq; voti
Conſcius, in ſero malè clauſerat oſtia portæ,
Turbaratq; ſeram, quæ ſingula penè furenti
Tam gravis auſpicii fatalia ſigna fuerunt.
Jamq; mei malè compos eram, ſtrepitusq; cavendi
Cura mihi deerat. Confringo fores, & apertas
Dimitto, furtis exponens, quicquid habebam.
Exeo, meq; tot infortunii non revocabant.
Ad charæ procedo domum, quam, vecte remoto,
Sentio, ſi tacitè faciam, mihi poſſe patere.
Incipio fieri lætus, lateraliter intrans,
Explorante manu, cameram lectumq; requiro.

XXIX.

EN! humili ſtrato, quaſi ſomno preſſa, jacebat!
Quanta, putas, interna meas dulcedo medullas
Tunc demulceret? quanto meus afficeretur
Tunc animus deſiderio, non eſt leve dictu.
Illicò tollo moras: omnis damnoſa videtur
Quantumcunq; brevis mora temporis. Ociùs ergo
Abjicio veſtes: ſed & acceleratio tanta
Impedit accelerare meum; mora naſcitur inde,
Unde, moram vitare volens, ſic accelerabam.
Abjicio veſtes, ſubitoq; præoccupo nudam,
Circumplexus eam: nec ei divertere quoquam
Jam licet, omnis ei motûs eſt forma negata.
Virginis arctari ſic vult pudor, &, ſibi parci,
Si non parcatur, reputat. Cum virgine noſtrâ

Digitized by Google

Sic decuiſſet agi, ſi præſens ipſa fuiſſet.
A cupido Jove ſic Semelen decuiſſet adiri,
Ipſaq; erat Beroë ſic à Jove non adeunda.

XXX.

HEu mihi! tanta meis regnans dulcedo medullis
Quàm modicū manſit! Reperi contraria votis.
Vertitur in luctum cytharæ ſonus, inq; ſtuporem
Deliciarum ſpes, moritur fax ignis amoris.
Si quid erat, quod epar, ventoſo turbine miſſo,
Fecerat arrectum, ſubitò langvetq; caditque:
Sopitur virtus, frigeſcunt omnia membra.
Credere quis poſſet, quod virgo, quattuor implens
Nuper olympiades, adeò citò conſenuiſſet?
Nunquam tam modico Roſa marcuit. In nova for-
Corpora mutatas cecini, mirabiliorq; (mas
Non reperitur ibi mutatio, quàm fuit iſta:
Scilicet, ut fuerit tam parvo tempore talis,
Taliter, in talem vetulam mutata puella!

XXXI.

HEu quàm diſſimiles ſunt, Virginis artubus, artus!
Accuſant Vetulam, membrorum turba ſenilis,
Collum nervoſum, ſcapularum cuſpis acuta,
Saxoſum pectus, laxatum pellibus uber,
Non uber, ſed tam vacuum, quàm molle; velut ſunt
Burſæ paſtorum: Venter ſulcatus aratro,
Arentes clunes macredine, crudaque crura,
Inflatumq; genu, vincens adamanta rigore.
Accuſant vetulam membrorum marcida turba.
Concitus exurgo, cœpi firmare, quod illam
Appeterem ferro: ſed mens ad ſe revocavit
Virgineam famam, quæ ſcandala ne pateretur,
Continui; quamvis omnis ſpes ejus habendæ
Jam diſceſſiſſet. Sic dextra quievit, amorque

Extin-

Digitized by Google

Extinctus, vivum potuit ſuperare dolorem.
Nec fuit hoc modicum, quod deſperatus amavi:
Imò probatio ſumma fuit, quod dignus amari
Sum, qui ſic poſſum jam deſperatus amare.
Non tamen inveni, quæ vellet amabilitati
Reſpondere meæ: ſed non ideò minùs iſti,
Quam non in culpâ ſcieram, bonus esſe volebam.

XXXII.

EXpers conſilii vix veſtimenta reſumo;
Veſtimenta réſumo tamen, poſt meque recludo
Portam, tam triſtis, quàm lætus in ingrediendo.
Adq; domum veniens, vix atria claudere poſſum,
Vix cameram, ſine luce, meo me reddo cubili.
Flebilis evolvo, mihi quæ vindicta placeret,
Sed non invenio condignam. Si moriatur,
Omnis pœna levis, quam momentanea finit
Mors. Igitur vivát, luitura diu ſcelus iſtud!
Sit mendica, manum non inveniens miſerantis
Eſtoque, ſi quid ei dabitur, modicumq; malumq;!
Panem non comedat, niſi quem dederit putrè gra-
Non carnes, niſi de vetulâ ſue, ſive leproſas; (num;
Non piſces, quos non denunciet undique fœtor,
Nec vinum guſtet, quin ſit vel pingve vel acre.
Tusſiat æternùm, juncturas gutta fatiget,
Febriat absque criſi, ſitis inſatiabilis adſit!
Adſit frigus iners, ſed & intolerabilis æſtus:
Si posſint, ſint ambo ſimul, ſaltemve vicisſim.
Fletus ei ſit continuus, lacrimæque perennes,
Singultus ſubiti, ſuſpiria crebra, frequenter
Oſcitet, halitibus diſtenta rigentibus: atque
Fœteat eructatio; non emungere nares
Posſit, in os ſanies deſcendat tota coryzæ;
Nec ſpuat hoc, etiam ſed glutiat evomitura.

Nec

Nec veſica, vel anus contineat vel urinam
Vel ſtercus, ſed continuò fluat antè retroque.
Nam poſt tale nefas mala tot non poſſet habere!
Quod mihi ſufficiens poſſet vindicta videri.

XXXIII.

ECce ſuperveniens luctum dolor innovat! ecce
Virgo datur tædis! longinquas nobilis illam
Ad partes ſponſus traducit. Erat locus ille,
Ad quem nulla mihi veniendi cauſa dabatur.
Nec dum compereram, ſibi ſi mea ſollicitudo
Tam mordax innotuerat; nec jam mihi tempus
Inveſtigandi: Tot erant his tædia tædis.
O quicunque meam tecum traducis amicam,
De thorace meo mihi cor traxiſſe videris!
Sed prohibere patrē non poſſum, quin, ubi malit,
Sit jungenda, meâ cum non interſit apertè.
Præ cunctis etenim ſecretò pertinet ad me,
Cum jungi nequeat, quin me disjungat ab ipſâ.

XXXIV.

AT verò poſtquam viginti circiter annos
Cum ſponſo fuerat, partuque effœta frequenti,
Et ſua jam facies diſpendia parturiendi
Senſerat, ecce! diem ſupremum claudere ſponſum
Fata jubent. Placuit, primogenito remanente,
Et pro dote ſuâ procuratore relicto,
Ad patrios remeare Lares. Occurritur illi
Omnibus â notis, conſangvineis, & amicis.
Præveniens alios, occurro longiùs illi,
Et brevibus verbis ex ordine ſingula pando.
Subridens dixit; Memini certè ſatis horum,
Excepto, quod anum te ſuppoſuiſſe putabam.
Me teſtante Deos, quod anum non ſuppoſuisſem;
Sed quid, ait, meminisſe juvat modò talia? nunquid
Jam

Jam ſum⁹ ambo ſenes quaſi, nec complexibus apti.
Tunc inſtare volens, multis venientibus illi
Congavisuris, vetor addere, quæ decuiſſet.

XXXV.

QUodam mane meos me fortè revolvere libros
Contigit, adq; locum veniens, ubi dicitur illud:
Præcipuè ſi flore caret, & cœtera: riſi,
Perquè feneſtrellam vidi dominam venientem.
A fortunatis prognoſtica multa videntur.
Præteritura meas erat ædes, ſeptaq; Solis,
Monte Palatino, lævâ de parte, relicto,
Tendebat, lauros tripódumque oracula viſens.
Occurri, ſatagens offerre domeſtica, ſi quid
Eſſet ibi placitum, vel ſi divertere vellet
Sub tectum noſtrum, modicâ recreanda quiete.
Subjunxit: Non eſt modò tempus, multa loquendi,
Sed mediatricem ſum proviſura fidelem,
Ad te mittendam, cum ſe dabit inde facultas.

XXXVI.

PAulò poſt ad me facunda pediſſequa quædam
Mittitur, & ſecum precioſa jocalia defert,
Aurea cum gemmis, miro fabrefacta paratu.
Hæc, inquit, dominæ ſunt illius, ſuus ad quam
Procurator heri pro nummis miſit habendis.
Sed quia tanta domi numerata pecunia non eſt,
Ad mercatores præſentia pignora mittit.
Aſt mihi, comperto, quod te non oderit; iſtac
In mentem venit divertere, ſcire ſed illam,
Nollem, quod pro te veniſſem, neve putares,
Quod te diligeret propter tua: ſed modò ſano
Credas conſilio. Laudo, quod te penes, ulli
Si modò ſunt nummi, retinere jocalia cures,
Et ſibi des mutuò, Fingam, quod me repedantem

Vide-

Videris â menſis, & quod menſas adeundi
Quæſieris cauſam, quâ compertâ voluiſti
Sic ſibi ſuccurri: Sic cor furaberis ejus,
Pro certoq; tene, quod ſit tibi grata futura.

XXXVII.

ERubui, ſi non facerem, loculoſq; ſigillo
Signavi plenos, retinere jocalia nolens.
Sic ubi quinq; dies jam tranſiviſſe notaſſem,
Nec de parte ſuâ rediiſſet nuncius ad me;
Eſſe poteſt, dixi, cum ſit res invidioſa
Nummi, quod nummos non dixerit hæc habuiſſe.
Sic â me: quia ſæpè locus committere furtum
Suggerit, & verè locus eſt occaſio furti.
Quod ſi commiſit, ne deprendatur in illo,
Diſſuadebit ei, mecum ne quando loquatur;
Ne quæram, ſi ſalva pecunia venit ad ipſam.
Quod ſi quæſiero; quid erit, ſi deneget illa?
Non habeo teſtes, nec erant teſtes adhibendi.
Debueram potiùs ſua pignora detinuiſſe,
Tunc nihil excuſaſſet eam, quin falſa fuiſſet,
Cui dimiſiſſet tot pignora, quæ, niſi nummis
Acceptis, non debuerat dimittere cuiquam.
Sed volui dominæ meæ ſic exponere largè
Tam ſpecie, quàm re, quod me cenſeret amandū.
O ſi pœniteat, quod ab initio mihi tantum
Dura fuit! ſi pœniteat, mihi ſufficit; imò
Ultio nulla, niſi talis, delectat amantes.

XXXIIX.

TAlia dicenti mecum, ſe quæſtio gratis
Offert ſolvendam. Venit ecce pediſſequa ridēs:
O felix! (dixit) tua te præchara ſalutat,
Quodq; tuum factum ſit commendabile, dicit;
Plusq; modus facto: Grates tibi grata rependit.
Utq; ſcias, quod te propter tua nolit habere,

Sed

Sed tua propter te, refero ſua pignora mecum.
Optio vult, tua ſint; aut ſint manſura penes te;
Vel tecum referas veniens, ipsâ potiturus.
Quamcitò nam poterit, pro facto credita reddet,
Proq; modo facti, vult reddere nobile fœnus
Corporis optati: Fœnus juvat iſtud amantes.
Tale decet, nec tale poteſt exactio dici.
Hoc ſero venies, ſed tardè; ne modò quartus
Addatur teſtis, quartum non vult adhiberi.
Nec posſunt ſoli duo, ſi non tertius adſit:
Unica ſufficiam vobis ſervire duobus,
Te ſibi, ſeq; tibi manus eſt hæc una datura.

XXXIX.

His dictis, abit, invito mihi pignora tradens.
In ſero venio, mecumq; jocalia porto.
Nec retinere volo, quia, cum fuerint data, credam
Ex tunc ſemper ei. Nam qui reperitur in uno
Verax, credibilem ſe quantum ad plurima reddit;
Et niſi rupta fides ſit per mendacia, durat,
Non quia non multi ſunt, qui modicum bene red-
Ut majora ſibi credantur; ſed ſecus eſt hìc: dunt,
Namq; datum ſemel hoc multis præponderat unũ;
Advenio, ſervatq; fores ancilla parata,
Mox introducit, mox lectum mittit in ipſum.
Et quia me fallax aliàs deceperat, ipſam
Attrecto manibus, reſpondent ſufficienter
Singula, frons, ſedes oculi, naſus, labra, mentum;
Sentio ridentem, ruo totus in oſcula. Quid plus?
Nudus ſuſcipior cum manſuetudine multâ,
Totus in antiqui delector amoris obore.
Quæ fuerat meminiſſe juvat, quantique fuiſſet
Integra, fracta docet. Nunquam matrona totennis,
Præcipuè poſt tot partus, fuit aptior ulla:
Nullaque munda magis fuit, aut melioris odoris.

Quod

Quod ſupereſt, taceo. Satis eſt dixiſſe, quod unum
Venimus in lectum, quod utriq; ſategit uterq;.
Qui cum pace receptus eram, cum pace receſsi.

XL.

ECce meis in viſceribus nova rixa creatur!
Lis gravis, ira furens, odium mortale, perennis
Rancor, inhumanus ſtrepitus, congreſsio dura,
Quæſtio difficilis, quam nulla ſolutio ſedat.
Cum recolo tacitus, trutinanteq; mente revolvo,
Quid fortuna mihi dedit, & quid caſus ademit;
Evehor huc illuc fluitans: hinc gaudeo multùm,
Quod ſuper optato tam longo tempore, vici:
Inde memor rurſum, quam tardè vicero, triſtor,
Quod, nullo reditura modo, ſit fracta ſenectus.
Auget lætitiam deſiderium diuturnum,
Auget triſtitiam pigra deſperatio. Verùm
Ipſam lætitiam nec deſperatio tollit.
Nec deſiderium valet evacuare dolorem,
Adjuto conſorte ſuo conſtanter utroque
Et tamen inter ſe non poſſunt pacificari.
Quæ ſi concurrant, neutrum neutro ſuperatur;
Nec, ſi librentur, nutum facit ipſa ſtatera.


Vide Tabulam Sextam, paginâ
proximè ſequente.

XLI.

QUis doceat, dominæ grates ſic ſolvere, quod nec
Ingratus videar, nec ſolvere largiùs æquo?
Hæc eſt ſumma quidẽ, quod grates debeo mixtas,
Nec bona nec mala, ſint ſibi longa; Sed abbrevientur:
Si mala ſint, placeant quò: ſi bona, diſpliceant, quò,
Non ſic triſtetur, quod ſit penitùs ſine riſu,

Nec

Tabula VI.



Nec ſic lætetur, quod ſit penitùs ſine fletu;
Si ſibi fiat honor, maculâ ſine gloria non ſit:
Si vituperium, velox oblivio tollat.
Si ſit ei damnum, pro parte tamen relevetur:
Si ſit ei lucrum, pro parteque damnificetur.
Si quando metuat, ſolatia concomitentur:
Si ſit conſolata, metu non ſit caritura.
Sed ſemper morbo careat, Satis eſt ſibi morbus
Peſſimus, irretinebiliter ruitura ſenectus.

Digitized by Google

Permixtas grates ſic omnis amica meretur,
Quæ, niſi fiat anus, ſe non conceditamico.
Et mea non habeat meliùs, vel pejùs eisdem,
Si ſua culpa fuit. Sua culpa fuisſe videtur,
Cum memorem facti vetulæ ſe confiteatur.
Nam facti vetulæ niſi conſcia primò fuiſſet,
Non ſe pòſt ejus memorem confeſſa fuiſſet.
Nec tamen omnis anus eſt talibus annumeranda.
Semper erit juvenis mihi, quam ſic inveteravi:
Hæc autem mecum quia non fuit inveterata,
Diſplicet, atque placet. Placet obtinuiſſe. Sed illi,
Cui ſemper fuerit tam chara juvencula, quod non
Attigit ad vetulam, non eſt leve continuare.
Attendas vetulam mecum non inveteratam;
Nam juvenes mihi ſemper erunt, quas inveteravi.
Nec minus annoſam ſum quæſiturus, eò quòd
Plus timeo, ne deterior foret illa priore,
Quam ſperem meliùs facturam, præcipuè cum
Nunc, quàm primò, minùs præſumeret eſſe potentē;
Et dici poſſet: Vetulus jam deſipit iſte.

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS
DE VETULA
Liber Secundus explicit.
INCIPIT TERTIUS,
in quo deſcribit, qualiter victurus eſt, derelicto amore.

I.

Iſtæ ſunt cauſæ, propter quas amodò nolo
Vivere, ſicut eram ſolitus, nec ſubdere collum
Plus intendo jugo, nervos carpentis, amoris.
Sed quoniam non uſque caret matura ſenectus
Inſidiis, & adhuc tentatio plurima reſtat;

Digitized by Google

Quid faciam? repetamne jocos, quib⁹ ante vacabã?
Delicias, quibus utebar juvenilibus annis?
Non repetam, quia tunc etiam non me relevabant
A charæ curâ; nec eis oblivio curæ
Talis ineſt: deſiderium potiùs revocarent,
Et dici poſſet: Vetulus jam deſipit iſte.
Sed ſcio, quid faciam. Studio complectar anhelo
Lucem, quam mecum dixi priùs eſſe recluſam:
Lucem doctrinæ, quæ rerum ſedula cauſas
Rimatur, ſublimis apex in Philoſophiâ;
Lucem doctrinæ, quæ cum ſit cœlica, terras
Non dedignatur, ſed in exilio peregrinat
Iſto nobiſcum, ſolatia vera miniſtrans.

II.

ADjiciamq; jocos dociles, Matheſisque ſequaces.
Sumptibus exiguis aliquatenus ædificabo,
Concernens ad materiam geometrica quædam,
Sic abſtracta quidem, quod non ſine materiâ ſint.
Algebræque memor, qui ludus arithmeticorum,
Admittam ludum, qui Rythmomachia vocatur.
Inveniam ſi diſcipulos, quia non niſi pauci
Sunt hodie, Matheſim qui cenſuerint imitandam,
De cantu capiam partem, quam Muſica ſcribit,
Adque Creatoris laudem, mea cantica vertam.
Aſcendam in cœlum, ſi demonſtratio pennas
Annuat, & curſus aſtrorum verificabo,
Inſtrumenta levans, & ſcribam poſteritati,
Qualiter inveni loca ſingula tempore certo,
Ut conferre queant, ſicut fecére priores.

III.

INde Creatorem per res intendo creatas
Venari, & demum per rerum quærere cauſas
Cauſam, intellectu cum tranſcendente, ſupremam;

Sciturus per eas, ſuper omnia cui reverendum,
Cui me devoveam perfecto corde, dieſque
Conſumpturus in his, quos nutu cuncta moventis
Significatores, velut inſtrumenta, dederunt:
Per quæ, prima quidē regit omnia cauſa, prout vult,
De quibus in majore meo licet inveniatur
Libro, quod dixi, Platonica verba ſecutus.
Ne regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum.
Non tamen hìc, niſi quod certum eſt, volo dicere: quare
Diffinire neceſſarium non eſt modò, cum non
Conſtet, utrum vivant cœleſtia corpora, nec ne?
Affirmare quod eſt temerum, incertumque negare.
Sed quocunque modo ſint, certâ indagine conſtat,
Quod quamvis diverſus eis ſit motus, eantque
Nunc celeri motu, nunc tardo, nunc retrocedant,
Et nunc directè, nunc aut ſeptentrio ſurſum
Efferat, aut retrahat pars meridiana deorſum,
Nunc grandē parvam-ne putes diametron habere:
Compoſitus tamen eſt diverſus motus eorum
Motibus ex æqualibus orbicularibus in ſe,
Et numeris certis, & certâ lege moventur.
Hoc etiam conſtat, quod mundi motus obedit
Hic elementaris, ſicut longus docet uſus.
Motibus ipſorum nec contradicere poſſunt,
Qui, quæcunq; minùs noverunt, deſpiciunt, &
Dentibus invidiæ præſumunt dilaniare.
Prima per ipſa quidem regit omnia cauſa, prout vult.
Organa ſunt primi, ſunt inſtrumenta ſupremi,
Cujus amicitias hìc ſi mihi comparo, nulli
Poſt mortem teneor obnoxius eſſe Deorum.

Quic-

IV.

QUicquid enim teneat de Diis ſententia priſca,
Unicus eſt Deus & Dominus, cui Dii quoq; pa-
Salva ſit ipſorum patientia, ſalvaq; ſi non (rent,
Eſſe poteſt, niſi diffitear, quod ſentio, ſaltem
Non dedignentur, cum ſint rationis amici.
Si rationibus experiar, ſi diſcutiam, quid
Credi conveniat, ſuper agnitione Deorum
Utrum ſint plures, vel fortè ſit unus eorum,
Qui Dii dicuntur? Pater & Deitatis origo?
Quod ſi ſic, jam ſunt virtutes particulares,
Et non Dii, niſi Grammatices accommodet uſus,
Hoc nomen Deus, ad virtutes ſignificandas
Omnes, quod potiùs deberet abuſio dici.
Tunc Idiomalis hæc dici quæſtio poſſet,
Quæ modici precii reputatur apud ſapientes.
At ſi non licet os in cœlum ponere, certè
Non poſſum cogi, quin credam, quod mihi dictat
Mens, quæ de cœlo mihi credita dicitur eſſe.
Ergò loqui liceat de primo principio, quod
Sic eſt principium, quod non eſt principiatum.
Et quæratur: utrum ſint plures principiantes?
Exempli causâ, ſicut quidam poſuerunt
Ut bona principiet alter; reliquus mala: Vel ſit
Unicus amborum, diverſimodè licet, auctor.
Quocirca dico, quod cauſa ſui nihil eſſe
Principiumve poteſt, quin omnipotens etiam ſit.
Nec decet eſſe Deum, divinum dum mo[illegible] nomen
Reſtringatur ad id, quod non eſt principiatum;
Sicut prædixi. Quid enim juvat eſſe Deum, ſi
Non eſt omnipotens? Deitasque quid addit eidem,
Omnipotentia ſi circumſcribatur ab ipſo?
At verùm nihil eſt adeò proprium Deitati,

Digitized by Google

Sicut poſſe: nec id dignum eſt Deitate, niſi ſit
Perfectum. Quare ſi non eſt Omnipotens quis,
Nec Deus eſſe poteſt: ſequiturque quod omnipotentes
Si non eſſe duo posſint, nec Dii duo poſſunt.
Dii quoq; ſi plures, & plures Omnipotentes.

V.

ARguo ſic igitur: Duo ſi ſunt Omnipotentes;
Ac per id æquales: Aut hic dependet ab illo,
Aut non. Nam ſi ſic; Bina omnipotentia non eſt:
Si non; iſtius poterit contrarius eſſe
Ille voluntati, ſua, ſi velit, impediendo
Facta: vel illius ê contra forſitan iſte.
Nam ſi non posſit, jam non eſt omnipotens is:
Si verò posſit, alius non omnipotens eſt.
Sic igitur rebus independentibus, â ſe
Omnipotentatus non posſet ineſſe duabus:
Quare nec Deitas. Tantùm eſt igitur Deus unus,
Strenuus, excelſus, ſuper omnia glorificandus.

VI.

HIc Deus eſt virtus quædam, quæ tranſilit omnem
Virtutem, Virtus ſuper omnem ſimplicitatem
Simplex, â noſtrâ ſic cognitione remota
Simplicitate ſuâ, quod per ſe ſcibilis ipſa
Non eſt â nobis; non, quod de parte ſuâ ſit
Defectus; ſed nos hebetes ſumus, ad capiendum
Eſſe rei, vires noſtras ita transgredientis.
Sed nec habet virtus hæc, cum ſit prima, prius ſe,
Per quod in ipſius veniatur cognitionem.
Quare non niſi per ſua poſteriora ſcietur,
Quæ ſunt res omnes, quas mundus continet in ſe.
Nam mundum Deus ex nihilo, mundanaq; fecit,
Solus ab æterno: Sed cum non poſſet apud ſe

Tanta

Tanta pati bonitas, relegans quemcunq; colorem
Invidiæ, voluit, quibus eſſet largus, habere.
Et primò, duo, materiam, lucemque creavit,
Ut, per quod fieret hic mundus, haberet, & ex qu :
Sed qui materiam vult informem meditari,
Cogitur, ut, ſicut punctum, meditetur eandem.
Nam, quantum, nihil eſſe poteſt, & fine carere,
Finitumque quod eſt, & formam conſtat habere.

VII.

ERgò materiæ, quæ ſe reddit meditanti
Sub puncti ſpecie, lux illa ſupervenit, & cum
Sit manifeſtatrix, ad formam ſuſcipiendam,
Aptat eam, quoniam per totum digerit illam:
Igniculiſque fovens, partem diffundit in omnem,
Motibus oppoſitis faciens diametron ubique.
Cumque ſit ambarum finita potentia, ſtandi;
Terminus eſt poſitus, quo ſiſtitur utraque virtus:
Scilicet extendens, extenſaque; ſic ut in illis
Plus nec agente poteſt patiens, nec agens patiente.
Commenſurat eas eadem proportio, ſicque
Crementi motu ceſſante, reflectitur in ſe.
Hâc fit ſphæra viâ, tali diſtincta tenore,
Ut pars interior fit denſior, apta quieti,
In quâ plus de materiâ, de luce minus ſit:
Pars ſit & exterior ſubtilis, & apta moveri,
In quâ plus de luce, minus de materiâ ſit.
Hæc pars humanam ſpeciem regit, illaque paſcit.

VIII.

POrrò pars ſphæræ, medium quæ poſſidet, & quæ
Denſior eſt aliâ, per quattuor eſt elementa,
Sic connexa ſibi, diviſa, quod alterutrorum
Vires oppoſitas, medium commune maritat.
Inque novem cœlos extrinſeca dividitur pars,

Quorum forma quaſi tunicatim contineat ſe,
In quorum ſeptem propiori â parte planetæ
Septem diſcurrunt diverſis motibus acti.
Horum ſunt ſuperi, Saturnus, Juppiter, & Mars:
Sol medius, ſub Sole Venus, præcepsq; ſub illâ
Mercurius, terræq; propinquior infima Luna.
Stellas, octavum cœlum, fixas habet, uno
Motu contentas, ut in his contrarietas ſit
Tanta, quod unicus eſt, ubi corpora plurima, mot⁹:
Et rurſum, motus, ubi corpora ſingula, multi.

IX.

AT nonum cœlum, quantū ad nos; ordine primū,
Quantū ad naturā, dictū quoq; Mobile primū,
Nullum corpus habet: Sed lux diffuſa per ipſum,
Quanto materiæ radix removetur ab ipſo,
Tanto concerni potuit minus, ut fieret lux
Illic viſibilis: Nec enim niſi materiatum
Viſibus offert ſe. Motu lux iſta diurno
Cœlum ſic â materiæ radice remotum
Tam rapidâ virtute movet, tantoque vigore
Circumvolvit, ut & cœlos ſecum trahat omnes,
In ſe contentos, ſecum circumrotet omnes
Nocte dieque ſemel, & mundanum ſuper axem.
Axis mundanus eſt linea, quæ quia tranſit
Per centrum mundi, inque polo finitur utroque,
Major eâ nulla eſt, immotaque ſola quieſcit.
Sola quieſcit, ſed non eſt longisſima ſola,
Excluſâ majore, poteſt æqualis haberi.
Circulus omnis enim, qui dividit in duo ſphæram,
Maximus eſt, pariterque ſuus longisſimus axis.
Quorum qui ſupra mundi componitur axem,
Cujus deſcribit motum revolutio primum,
Dicitur Æquator, & dicitur Æquidialis,

Sed

Sed quia ſunt multi motus, præter memoratum;
His octo cœlis unus tamen eſt generalis,
Et ſuper axem qui mundi declinat ab axe
Per quintam decimã modico minùs, & ſuus orbis
Non eſt Æquatore minor, qui dicitur orbis
Signorum, vel zodiacus, quantumque recedit
Axis ab axe ſuus, declinat & orbis ab orbe:
Cœlorumque ſub hoc motus deſcribitur octo.

X.

SEd quia cœlos hos, motûs vehementia primi
Vincit, nec poſſunt ipſum uſque ſequi; reputatur
Ipſorum motus primo contrarius eſſe.
Non tamen eſt, ſed id incurtatio viſibus offert,
Vincunturque magis, quantò magis inde remoti:
Et qui tardior eſt, velocior eſſe videtur.
Nam lux illa movens, virtus eſt, immediatè
A primo motore fluens in Mobile primum,
Et movet ipſum ſic, ut motor non moveatur,
Sed manet immotus; licet illa neceſſe moveri
Sit, quæcunque movent contàctu: non tamen illa,
Quæ virtute movent, idcirco neceſſe, moveri.

XI.

AMpliùs hoc cœlum ſic hâc virtute movetur,
Ut nunquam totum mutare locum queat in ſe;
Sed ſolæ partes ejus mutant loca, quando
Circumvolvuntur, quia motus is orbicularis,
Cui nihil oppoſitum. Semper durabilis ergò,
Seſe continuans in partem ſemper eandem,
Et circa medium, quia nec leve, nec grave cœlũ eſt,
Aſt Elementorum levitas ubi, vel gravitas eſt,
Eſt motus rectus, quia, quod gravitate movetur,
Ad medium trahitur: Et quod levitate, recedit
A medio, quorum ſibi motus oppoſiti ſunt,

Digitized by Google

Ad loca tendentes diverſa, quibus ſibi nactis,
Quodlibet in propriâ regione quieſcit eorum,
Inde nec extrahitur, niſi per motum violentum.

XII.

HÆ mundi partes, Cœleſtis ſcilicet illa,
Hæc Elementaris, mundo ſervire minori
Non dedignantur. Mundus minor eſt homo, cujus
E cœlo vita eſt, & victus ab his elementis:
Sic dictus, quia ſit mundi majoris ad inſtar
Factus, converſo licet ordine. Nam quod in illo
Groſſius eſt, jacet in medio, ſubtilius extra.
Hic verò latet interiùs ſubtile, velut ſunt:
Cor, cerebrum, nec non & epar, dominantia mem-
Teſticuliq; licet ſint ex his, ſunt tamen extra, (bra;
Ob generativam foris auxiliantis egentem.
Iſta quidem, vice cœlorum, funguntur in ipſo,
Et quibus eſt ſervire datum, ſpecialiter iſtis:
Scilicet arteriæ pulmo, tracheaque cordi,
Venæ fel, & ſplen epati, nervique cerebro;
Senſus, et motus, & ſemen dantia vaſa
Teſticulis, ſtomachusque cocus generalis eorum.

XIII.

SOl in corde manet, & in arteriis dominatur,
Vivificans per eas totius corporis artus.
Mercurius patulam pulmonis habet regionem,
Tracheam quoq; vociferam, lingvamq; loquacem.
Teſticulos Venus, & quæ ſemen vaſa miniſtrant,
Sortitur: Sed epar Jovis eſt, ſtomachusque cibator.
Splen Saturnus habet, Mars fel, & Luna cerebrum.
Stellatum cœlum, nervos; ſenſus habet atque
Nonum motivos, cujus rapit omnia motus.
Virtutes iterum potes aſſignare Planetis,
Et naturales inprimis. Appetit ergò

Mer-

Digitized by Google

Mercurius, retinet Saturnus, digerit autem
Juppiter, expellit Mars, paſcit Luna, nutrit Sol,
Atque Venus generat. Iisdem quoque ſic animales
Sentit Juppiter, & Sol cogitat, ac ratione
Utitur; at meminit Saturnus, Luna localem
Exercet motum, diſcernit Mercurius, Mars
Iram ſuccendit, deſiderium Venus auget.

XIV.

COmpoſitos itidem dabis humores elementis:
Aëra ſangvis habet, habet Ignem cholera, terrã
Melia, phlegmon Aquã. Sed rurſus, homogeneorũ
Membrorũ quædam ſunt horum danda quibusdã
Oſſa quidem terreſtria ſunt, aqueæque medulla:
Aëreæ carnes, cutis ignea, cœtera claudens
In ſe, ſicut ibi tria circumplectitur ignis.
Diſtribuuntur item ſic officialia membra:
Arce manens caput in ſuperâ, viri datur ignis,
Venter aquæ, dorſum terræ, manuumq; pedumq;
Ramos aër habet, cujus per inane vagantur.
Sic homo majoris eſt mundi factus ad inſtar;
Sic hominem cœliq; regunt, elementaque paſcunt;
Sic homini totus major mundus famulatur.

XV.

SEd ſpecialius eſt cœli párs una dicata,
Ut propriè per eam ſpecies humana regatur,
Nam quamvis homini totum cœlum famuletur,
Appropriata tamen eſt cuilibet ex elementis
Quædam párs cœli: Regionem Sol regit ignis,
Materiamq; Cometarum ſublimat ad ipſam,
Subtilemque levat, pro dando rore, vaporem.
Inde minoribus eſt datus Aër quinq; planetis,
Ad quorum motum mutatio temporis omnis
Accidit, & veniunt nix, grando, tonitrua, fulmen,

Ven-

Ventiq; & pluviæ. Lunæ, ſequitur mare, motum,
Acceditque ad nos, quotiens ad Meridianum
Luna venit, quotiens & ad Horizonta recedit;
Fortiùs accedens, quotiens aſcendit ad augem,
Orbis Luna ſui, cujus centrum quia diſtat
A centro mundi, nomen quoque traxit abinde
Cuſpidis egreſſæ, ſimilique modo quotiens eſt
Orbis in auge brevis, quem nominat ars epicyclũ.
Et quotiens utriusq; ſimul conſcendit in augem
Eſt, ſicut plus eſſe poteſt, acceſsio fortis.
Tunc etiam piſces meliores ſunt ad edendum,
Præcipuè, qui ſunt in conchis degere nati.
In terrâ tandem ſtellæ fixæ dominantur,
Ad numerum quarum datus eſt numerus ſpecierũ,
Cui tamen ex ſtellis quæ ſerviat ex ſpeciebus,
Neſcitur; ſed homo regitur ſpecialiter orbe
Nono, qui cœlos & continet, & movet omnes.
Unde fit, ut ſicut ſtellarum motus obedit,
Et trahitur cœli, quod continet omnia, raptu:
Sic dominatur homo cunctis aliis ſpeciebus.
Sicut & in cœlo lux eſt, ſubtilior iſto:
Sic homo dignior eſt, mentisq; capacior altæ.
Sicut & hoc cœlum primus fovet immediatè:
Sic hominis ſpeciem ſuper omnia diligit idem,

XVI.

ET cum de cunctis ſit cura Deo ſpeciebus,
De ſolis individuis hujus ſpeciei
Cogitat, in quorum ſunt cuncta creata favorem.
Illis præcipuè dans quandam nobilitatem,
Vim ſpeculativam, divini munus honoris,
Per quod dignatus ſibi nos eſt aſſimilari,
Infundendo creans ipſam, infundensq; creando.
Ac aliæ vires, animæ cum commoriantur

Omnes

Omnes Corporibus, ſe ſeparat unica vis hæc,
Corpore nec pereunte perit. Quoniam licet ipſa
Non ſit ab æterno; poſtquam tamen incipit eſſe,
Durat in æternum, cujus quia conditiones (dam;
Æternas quaſdam inveniunt: Sub tempore quaſ-
Dixerunt: quod eam factor lucis creat, inter
Tempus & æternum, confinem ambobus, ad inſtar
Horizontis, qui duo ſemisphæria mundi,
Viſum ſcilicet à non viſo dividit æquè.
Separat autem ſe, quoniam de corpore toto
Non habet organicam, reſpondentem ſibi, partem.
Eſt igitur ſine fine manens, cum cœperit eſſe.

XVII.

Horum mundorum, nullo, Deus iſte, juvante,
Materiam potuit, ſcivit, voluitque creare,
Ac ipſos de materiâ formare creatâ,
Majori lucem infundens, animamque minori.
Et placuit ſibi, quod tales eſſent duo mundi; (ſent:
Quodq; duæ partes, quas mundus habet minor, eſ-
Hæc finibilis, & ſemper durabilis illa:
Et quod majori, Motus eſſent duo, mundo;
Hic finibilis, & ſemper durabilis ille.
Non tamen univocè ſumatur ſemper utrinque;
Æternum Primum dic, Perpetuumq; Secundum,
Perpetuum dico, quod omni tempore durat;
Æternum, quod nec cœpit, nec deſinit eſſe.
Ergò Perpetuum durare intelligo, quantum
Durabit Tempus: Quia nec tempus ſine motu;
Nec ſine tempore motus erit. Prohibet nihil ergò,
Quin ſtent ambo ſimul, cum terminus affuerit quis;
Nam ſemper durant animæ, ſine fine manentes.
Sed motus ceſſare poteſt, duraſſeque ſemper;
Semper enim durat, quod tempore durat in omni;
Et motum tempuſque ſibi liquet eſſe coœva.

Nam

Nam nec motus erit ſine tempore, nec ſine motu
Tempus, quæ ſicut cœpiſſe ſimul potuerunt,
Stare ſimul poterunt, cum terminus affuerit, quem
Conditor impoſuit. Nec eum novit, niſi ſolus
Impoſitor, ſicutque fit, ut durante perenni
Motu, cauſatur perpes generatio; ſic &
Iſte ſtatus cauſat vitam ſine fine quietam,
Ut, quod vixerat hìc ad tempus in his elementis,
Vivat in æternum ſuper orbes glorificatos:
De rationali dico, cui vita ſuperſtat.

XIIX.

Ergò ſtatu veniente ſtatim fient nova cuncta,
Schemate nam ſimili ſtatus innovat omnia, ſicut
Et motus generat. Cœli, generatio, moti
Eſt effectus, & ejuſdem ſurrectio ſtantis.
Ad motum cœlum finiti temporis eſſe
Pertinet, ad ſtans atque quietum, pertinet eſſe
Æternum, fixumque manens & glorificatum.
Porrò, ſtatum ſequitur ſurrectio tam generalis,
Quàm præter motum generaliter omnia ſtabunt.
Ergò neceſſario nova fient omnia; cœlum,
Sidera, mundus & hic, & corpora noſtra reſurgent.

XIX.

Siſtet motus, ais: Sic eſt. Sed ſtare neceſſe
Non eſt, & quamvis ſit naturale, reſolvi,
Quod junxit natura; tamen non vult Deus illud,
Quod ratione bonâ junctum fuit, uſque reſolvi.
Unde fit, ut, quicquid natura ſolubile junxit,
Sancierit bonitate ſuâ divina voluntas.
Hæc ais, hæc & ego. Simul unica perficiendis
Omnibus Organicis non ſufficit entelechia.
Eſt animabus & hoc aliquid, quo dicitur una
Quælibet illarum, quo differt omnis ab omni.

Si

Si verò motus non fiet, generatio ſemper
Continuabitur, & ſpecies humana, creatas,
Infuſasque novas animas ſibi multiplicabit.
Separat autem ſe virtus animæ ſpeculatrix
Propter eam cauſam, quam dixi: Sic animarum
Infinitus erit numerus; natura ſed iſtud
Non patitur, nec ſtare poteſt: quare neq; primum.
Sic ſtabit motus, ſic corpora noſtra reſurgent,
Ad proprium corpus animâ quâcunque reverſâ.
Non quod Deucalion ſit Pyrrha futura; ſed illud
Corp⁹ idē numero, quod habebat, uterq; reſumet:
Ut, quia pro meritis reddenda eſt gloria, pœna
Pro culpis, proprios actores quæque ſequatur.
Sic mutabit nos excelſi dextera, ſolo
Verbo: Nam ſtandum ſi juſſerit, illicò ſtabit;
Non ut diſſolvat, quæ juncta bonâ ratione
Sunt, ſed ut, in melius commutans, ſanciat illa.

XX.

FOrtè tuus tamen id non ſuſtinet intellectus,
Ignis relliquias ſic in melius renovari
Poſſe; quod & memini dicens hæc de Jove verba:
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.
Sed de hoc non eſt vis: Is enim qui primò creavit
Omnia de nihilo, reparare poteſt ea, multò
Fortiùs ex aliquo, renovando modo meliori.

XXI.

HIc Deus Omnipotens eſt virtus illa ſuprema,
Cui me devoveo, cui ſoli confiteor me
Totum deberi, cui ſoli debeo grates
Tam de gratuitis quàm naturalibus, & quàm
Fortunæ donis. Iſti, me judice, ſoli

De-

Digitized by Google

Debetur reverentia, debetur & famulatus.
Hujus amicitias hìc ſi mihi comparo, ſpero,
Quod meliore gradu coram ſe ſtare jubebit.
Hujus cultorem me repromitto futurum,
Dum tamen ipſe trahat, quia, ſi non traxerit, ipſi
Nemo placere poteſt, & ad ipſum nemo venire.

XXII.

Hujus & oh! utinam merear meminiſſe, priuſquam
Adveniant anni, quos dicam non placituros,
Sol ut obumbretur, & ſtellæ, lunaque, Solis
Lumen: Poſt pluviam redeant nubes, iteratò,
Cuſtodesque domus, ſeu fortes commoveantur,
Quiq; vident per parva foramina, contenebreſcant.
Filia carminis obſurdeſcat, ſurgere mane
Quæ ſolet ad vocem volucris, ducantque molentes
Otia, formident, timeantque excelſa viarum.
Flore ſuo caneſcat amygdalus, imminuatur
Capparis in lumbis, impingveturque locuſta.
Rumpatur funis argenteus, atque recurrat
Aurea virga, ſuper contrita ſit hydria fontem.
Ciſternamque ſuper confringatur rota, pulvis
In terram redeat: Sed liber Spiritus ipſum
Evolet ad Dominum, qui deſurſum dedit illum.

XXIII.

TEmporis illa dies finem faciet mihi, vitâ
Victuro meliore quidem, ſi reddidero me
Gratum factori, largitorique bonorum.
Præcipuè ſi ſerviero ſibi, ſi bonitatem
Ipſius ſummam dilexero corde tenaci,
Menteque perfectâ, ſi glorificavero laude.
Neve creaturæ cultus impendero, dignos
Majeſtate ſuâ, ſeu reddendos ſibi ſoli.
Sic igitur metuenda dies non eſt mihi mortis,
Etſi non aliàs, ideò ſaltem, quia finem

Exi-

Digitized by Google

Exilio faciet. Mors Regibus, exulibusque
Communem patriam parat, & communiter omnes
Urbe ſuâ recipit, & nullos inde relegat.

XXIV.

POrrò non penitùs caret utilitate, quod ipſa
Terminat exilium, quale eſt habitare ſub Arcto,
Quale Getas inter; quia proximitate Getarum
Deterius nihil eſſe poteſt, ubi vivere certè
Non aliud reputo, quàm mortem continuare,
Quamvis, eſſe malam mortem ſuper omnia, dicant.
Non nihil eſt, finire malum. Mala ſunt bona, finem
Impoſitura malis. Non ſemper vivere vellem,
Si non conceſſum ſimul eſſet, poſſe reverti.
Nam quoniam, reditũ mihi jam ſperare, negatũ eſt;
Opto mori: Sed ſi mihi vivere fortè liceret
In patriâ, gravior foret expectatio mortis.

XXV.

NEc me quorundam deterret opinio vana,
Qui dicunt; animas apud infernalia regna
Exercere, quod hìc exercuerant: quia, verum
Si foret hoc, non exilium fugerem, moriendo.
Dii melius! quod ſi dixiſſe redarguar illud;
Non fuit hoc, quia ſic ſentirem: Sed quia vulgo
Cum loquerer, vulgi decreta tenere volebam.
Verior, & potior ſententia Philoſophorum,
Illorum propriè, quos illa ſcientia dives
Occupat aſtrorum, qui partem judiciorum
Exercent, & principiorum reddere cauſas
Sufficiunt, varios effectus inde probantes.

XXVI.

HOs apud invenies, quid ſignificare Planetis,
Quid ſignis, domibusve datũ? quia circulus ipſe
Dividitur bimodè per bis ſex Signa, Domosque.

Hæc diviſio naturalis, & hæc ſitualis,
Diverſaſque trahunt vires ab utrâque Planetæ.
Qui cum ſint ſeptem, duo ſunt ibi Lumina magna;
Eſtque Planeta diurnus, Sol, nocturnaque Luna.
Et rurſus Sol maſculus eſt, & fœmina Luna:
Sol calidus, ſiccus eſt: humida, frigida Luna.
Pertinet ad Solem virtus activa caloris;
Pertinet ad Lunam paſſiva, ſed humiditatis:
Sicque poteſt dici Sol ſponſus, Lunaque ſponſa,
Ex quibus in mundo res omnis habet generari,
Humorem Luna; præſtanteque Sole calorem.

XXVII.

POſt Solis, Lunæque faces, ſunt Lumina quinque,
Propter naturas totidem, quia ſunt elementis
Quattuor affines, commixtâ ex omnibus unâ.
Frigidus & ſiccus eſt Saturnus, calidusque
Mars eſt & ſiccus, & Juppiter eſt calidus, ſed
Humidus; atque Venus eſt humida, frigida: Mixtus
Mercurius convertibilem ſe reddit ad omnes.
Rurſus Saturnum dicunt, Martemque malignos,
Sed plus Saturnum; Martem minùs: Ex aliâque
Parte Jovē, Veneremq; bonos; plus hunc, minùs illā;
Mixtum Mercurium ponunt in utroque viciſſim.

XXIIX.

EX his principiis ſunt inter cætera multa
Conati domini Stellarum, reddere cauſam,
Cur ſit nona domus fidei, vel Relligionis?
Nam cum Saturni ſit circulus altior, inde
Incipiunt, primæque domûs venantur ab ipſo
Cauſas & proprietates: Iterumque ſecundæ
A Jove, qui ſuccedit ei. Similique deinceps
Schemate, per reliquos; donec ſit ſeptima Lunæ.
Inde revertatur octava domus, moderanda
Saturno: pòſt nona Jovi. Niſi Juppiter ergò

Signi-

Significare fidem per prænarrata probetur;
Nec poterit domui nonæ præſtare, quod ipſa
Significare fidem poſſit, vel Relligionem :
Sed quod ſignificet, ſic per prædicta probetur.

XXIX.

FOrtunas Jovis & Veneris prædiximus eſſe,
Majoremq; Jovi dedimus, Venerique minorem.
Cumque duæ vitæ ſint, præſens atque futura;
Dignior illa quidem, quàm ſit præſens, ideò, quod
Plus valet æternũ, quàm quod pro tempore durat;
Propter id eſt Veneri data ſignificatio, ſupra
Fortunas hujus mundi, (ſit gratia verbo)
Ludos, & cantus, ornatus, atque colores,
Quodque per olfactum, guſtumve juvat, coitumq; :
Et concludendo breviter, ſuper omnia mundi
Gaudia, quicquid in hâc eſt delectabile vitâ.
Sicque Jovi ceſſit vitæ fortuna futuræ,
Aſſertivè quam nullus deſcribere poſſet,
Imò negativè vult deſcribi, quaſi dicas:
Quâ nihil eſt melius, nihil eſt jucundius uſquam.
Quod cum non poſſit, niſi Relligione, fideque,
Quatenus, acquiri, meritò quoque Juppiter illas
Significat, meritò domui nonæ dedit illas,
Ex quibus ulteriùs venabimur, ut veniamus
In vitæ ſecli venturi cognitionem.

XXX.

SIgnificare fidem, Jovis eſt, & Relligionem.
Ergò ſecundum quod complectitur ipſe, planetis
Et fidei ſpecies debent diverſificari.
Sicque fides ſunt ſex: Sed non niſi quattuor uſque
Tempus ad hoc præſens latas invenimus eſſe.
Si complectatur Saturno Juppiter, ex quo
Saturnus gravior eſt omnibus, ipſeque nulli

Digitized by Google

Jungitur ex aliis, omnes junguntur eidem;
Eſſe fides debet, quæ nullam conſiteatur
Ex aliis, omnes tamen inclinentur ad ipſam.
Talis erat Judæa fides, & talis adhuc eſt.
Si Marti, Chaldæa fides credetur, apud quam
Ignis adoratur, cui ſignificatio Martis
Concordat. Sed ſi Soli, ſequitur, quod adorent
Militiam cœli, cujus princeps quoque Sol eſt,
Si Veneri, jam noſtra fides convincitur eſſe,
In quâ, ſi libeat, quodcunque licere putatur:
Scripta licet ſuper hoc nondum lex inveniatur.

XXXI.

ET quia quattuor has jam præceſſiſſe videmus,
Et reliquas etiam præſumimus eſſe futuras,
Lunæ poſtremam legem fore, conjicientes;
Vel, quia poſt alios eſt circulus infimus ejus,
Vel, quia Lunaris motus corruptio, legem
Omnem ſignificat tolli debere per ipſam.
Fœda fides erit hæc, quam Rex in fine dierum,
Sive potens aliquis violenter, & abſque colore
Eſt inducturus, qui divinum ſibi cultum
Uſurpare volens, occidet, & opprimet omnes
Contradictores: Nec tanta occiſio, tanto
Tempore, pro turpi causâ præceſſerit unquam.
Sed durare parùm poterit, quia Luna figuræ
Motus & lucis eſt mutativa frequenter.

XXXII.

ANte tamen legem Lunæ, lex Mercurialis
Promulganda manet, ſed propter Mercurii tot
Circuitus, & tot inflexus, atque reflexus,
Difficilis credi ſuper omnes lex erit illa,
Et multum gravitatis habens, multumque laboris,
Obvia naturæ ſupponens plurima, ſolâ

Con-

Digitized by Google

Concipienda fide. Quare dubitatio multa
Surget apud multos, nodoſaque quæſtio multa.
Sed quia Mercurius ſcripturæ eſt ſignificator,
Et numeri, per quæ Lex omnis habet ſtabiliri,
Et quia præcipuè, non quæ ſunt temporis hujus
Mira, ſed æternæ promittet commoda vitæ,
Tot defendetur ſubtilibus argumentis,
Quod ſemper ſtabit in firmo robore, donec
Tollat eam Lunæ lex ultima, ſicut & omnes;
Vel ſaltem ſuſpendat eam. Quia Rex ubi nequam
Prædictus ſublatus erit, ceſſanteque fœdâ
Lege ſuâ, vel erit tunc conſummatio, motu
Stante, vel ex aliis prædictis legibus, unam
Omnes aſſument, & fortè probabiliorem.
Nam quia decepti fuerint communiter omnes,
Ad reſipiſcendum venient concorditer omnes.

XXXIII.

TUm fiet Legum collatio. Fortè videtur
Quod non debebit præferri, quæ colit ignem,
Vel quæ militiam cœli; quia nulla creata
Res eſt digna coli. Rurſum Judæa fides, &
Noſtra, Creatorem ſolum licet eſſe colendum
Edoceant; tamen æternum nihil inde mereri
Promittunt, ſed, quæ præſentis ſunt bona vitæ,
Iſta voluptates promittit, & illa fluentem
Terram lac & mel. Lex autem Mercurialis
Dignior esſe fide reputanda videtur, eò quod
Æternæ vitæ bona promisſura ſit, ad quæ
Nemo venire poteſt, niſi Relligione, fideque,
Quæ Jovis in ſortem ceſſerunt, ſignificantis,
Sicut prædictum eſt, æternæ commoda vitæ.
Felix, qui ſectæ cauſas prænosſe futuræ
Posſet, venturus per eas in cognitionem!

Digitized by Google

Quis ſibi vivendi modus aptior eſſet ad hoc, quod
Inde mereretur æternæ gaudia vitæ?

XXXIV.

DIcunt aſtrorum domini; quod in omnibus annis
Viginti junguntur Juppiter, & pater ejus:
Cumque duodecies in ſignis triplicitatis
Unitus juncti fuerint, ſeu tredecies, ut
Accidit interdum, tandem mutatur eorum
Ad ſuccedentem conjunctio triplicitatem.
Quarum conſuevit conjunctio maxima dici,
Quæ ſit in initio puncti vernalis, & ipſa
Poſt quaſi nongentos & ſexaginta fit annos,
Ipſo Saturno bis ſexdecies revoluto:
Significans nunc diluvium, nunc aëris ignes,
Nunc terræ motus, nunc annonæ gravitates.
Regnorumque vices permutat, & Imperiorum.
Aſt alibi quæ fit, mutatâ triplicitate,
Conſuevit dici major conjunctio, ſectam
Significans, mutansq; fidem per climata quædam,
Et fit poſt annos quaſi quadraginta ducentos.

XXXV.

UNa quidem talis felici tempore nuper
Cæſaris Auguſti fuit, anno bis duodeno
A Regni novitate ſui, quæ ſignificavit;
Poſt annum ſextum, naſci debere Prophetam
Abſque maris coitu de Virgine, cujus habetur
Typus, ubi plus Mercurii vis multiplicatur,
Cujus erit concors complexio prima futuræ
Sectæ. Nam nusquam de ſignis ſic dominatur
Mercurius, ſicut in ſigno Virginis, illic
Eſt ejus domus, exaltatio, triplicitasque,
Per totum ſignum, nec non & terminus ejus
In primis ſeptem gradibus. Dictique Prophetæ

Typus

Digitized by Google

Typus habetur ibi, quamvis ſub ænigmate. Namq;
His in imaginibus quæ deſcribuntur ab Indis,
Et Chaldæorum Sapientibus, ac Babylonis,
Dicitur ex veterum ſcriptis, aſcendere primâ
Virginis in facie prolixi virgo capilli,
Munda quidem, magniq; animi, magniq; decoris,
Pluris honeſtatis; & in ipſius manibus ſunt
Spicæ ſuſpenſis, & veſtimenta vetuſta.
Sede ſedet ſtratâ, Puerumque nutrit, Puero jus
Ad comedendum dans, Puerumq; Jesum vocat ipſũ
Gens quædam. Sedet & vir ibi ſedem ſuper ipſam.
Hæc ſcripſit prior ille propheta Noë venerandus,
Et docuit primogenitus Sem filius ejus.
Hæc autem cœli pars aſcendebat in horâ,
Quâ cum Saturno Jovis eſt conjunctio facta,
Nuper ſignificans ſectam; quia triplicitatem
Mutavére ſuam, nec non etiam propè punctum
Veris, ubi fieri conjunctio maxima poſſet,
Principio ſigni propior ſi fortè fuiſſet.
Tunc et erant anni Græcorum quinque treceni,
Atque novem menſes, cum ter ſex penè diebus.

XXXVI.

Felix, cui plenè conjunctio tanta pateret!
Tamque potens fidei præclaræ ſignificatrix!
Per quam venturæ quæruntur gaudia vitæ,
Per quam cognoſci mores, & vita Prophetæ
Prædicti poſſunt, ſciri que poteſt per eandem,
Quod ſine peccato vivet, ſuper omnia verax,
Et quod doctrinæ ſanæ, quod clarificandus
Portentis, & prodigiis, mirabilibusque
Virtutum ſignis: quæ certè poſſe patrare,
Non eſt humanum, ſed digna Deo potiùs ſunt.
Fortè nec eſt, Hominem, fas ipſum dicere, purum.

XXXVII.

NAm ſuper hoc Puero ſunt olim multa locuti
Quidam, qui vitam ducebant ſpiritualem,
Utentes parcè ſomno, potuque ciboque,
Senſibilique ſuus elongabatur ab omni
Spiritus, & domitâ ſe ſurſum carne levabant.
Sic intellectus intendebatur eorum
In tantum, quod eis, prænoſſe futura, dabatur,
Vel per ſomnia, vel vigilando cadebat eorum
In mentem, per eoſque loqui Deus ipſe volebat.
Ac ideò tales appellavére Prophetas.
Tales dixerunt, quod ſic de Virgine naſci
Debeat *unus Homo, ſimul & Deus*: & quod utramque
Humanam, atque Dei, ſit naturas habiturus.
Sed via poſſibilis non eſt: Hæc clauſa videtur
Porta meis oculis, quia non intelligo planè.

XXXVIII.

HOc unum novi, quod homo fieri Deus unquam
Non poſſet. Nã quod ex tempore cœperit eſſe,
Æternum non eſſe poteſt, quia, ſi cariturum
Fine ſit, idcircò quòd ſit Deus, amodò ſaltem
Non ſine principio poterit fore, ſed quod utroque
Non caret, æternum non eſt. Etenim duo ponit,
Et quod ab æterno duraverit hactenus, & quod
Duret in æternum. Quare, quod conditionis
Non eſt æternæ, fieri nequit amodò tale.
Si Deus eſt igitur æternus; nemo Deus ſit.

XXXIX.

HOc unum novi: Sed neſcio, ſi Deus eſſe
Vellet homo. Si vellet enim, cum ſum̃a voluntas
Non habeat, vel habere queat, quibus impediatur,
Poſſet homo fieri, carnemque aſſumere poſſet,
Ac unire ſibi: Sed quâ ratione moveri

Poſſet

Poſſet ad hoc, ego non video, tamen undiq; venor,
Undique perſcrutor, ſi poſſem fortè venire
In veriſimilem, veramve probabilitatem,
Qualiter induci Deus ad quid tale volendum
Poſſet? Certus enim ſum, quod Lex Mercurialis
Plurima naturæ contraria ſit poſitura.

XL.

HOc unum video, quod, cum Deus, ut retrò dixi,
Cœleſtem motum providerit eſſe ſtaturum,
Et ſibi de ſolis individuis ſpeciei
Cura ſit humanæ, vult fortè viam meditari,
Quâ poſſint homines in fine reſurgere mundi.
Quare vult Individuum ſpecialiter unum
Inter eos fieri, quod naturaliter ambas
In ſe naturas habeat, noſtramque ſuamque,
Ex unâque mori, rurſumq; reſurgere poſſit
Ex aliâ: Cujus virtute reſurgere poſſint.
Omnes, poſt habitum per eum de morte triumphũ.
Hoc eſſet certè dilectio maxima; ſed non
Miror, ſi Summus ſit munera ſumma daturus.
Sed licet iſte foret Homo verus, non tamen ipſe
Naſci deberet, ſicut communiter illi
Naſcuntur, qui ſunt homines puri: Quia tantum,
Ac talem, per quem foret incorruptio danda,
Ex incorruptâ quoque naſci Matre deceret.
Hæc ſunt, quæ cecinit Cumanæ Muſa Sibyllæ
Nuper in urbe ſacrâ, quaſi cuncta, fides oculata
Prædocuiſſet eam, vel in aure ſuâ ſonuiſſent.

XLI.

COnfiteor, quòd dicta fides quamplurima ponet
Obvia naturæ, ſed adhuc ibi quæſtio reſtat
Difficilis, de quâ ſurgit dubitatio major.

Digitized by Google

Nam de prædictis quidam dixére Prophetis,
Quod Deus eſt Trinus, & quod nihilominus Unus.
Hoc autem tantum meus intellectus abhorret,
Quod nec materiam ſe vertere posſit ad iſtam:
Non, quia non multum deſideret, ut ſciat hujus
Dicti radicem, ſi radix eſt ibi: Verùm
Semita nulla patet mihi, quâ veniatur ad ipſam.
Nec tamen hoc verbum ſoli dixére Prophetæ,
Sed quidam de Philoſophis, qui, pauca locuti,
Magna ſubeſſe ſuis voluerunt pondera dictis:
E quibus in medium veniat famoſior unus.

XLII.

INquit Ariſtoteles, Græcorum Philoſophorum
Princeps & Dominus, veríque perennis amicus:
Res omnes ſunt tres: Numerus ternarius in re
Quâlibet exiſtit; nec nos extraximus iſtum
A nobis numerum, ſed eum natura docet nos.
Nam per eum numerū ſimiles res dicimus omnes
Eſſe Creatori, per eum quoque nos adhibemus
Significare Deum: qui quamvis ſit Deus Unus,
Eſt tamen & Trinus. Sic dixit, neſcio cujus
Doctrinæ præcepta ſequens, aut, neſcio, cujus
Philoſophi Zelans veſtigia, ſive Prophetæ.
Dixit; quod Trinus: Nec dixit; quomodo? ſolùm
Dixit, quod ſic eſt, qui nunquam credulitatis
Inceſſiſſe viâ viſus fuit, uſus ubique
Aut rationibus, aut cogentibus argumentis.
Hic autem nullâ fultus ratione, velut ſi
Texeret hiſtoriam, ſolùm, ſic eſſe, canebat.
Et quaſi per calamum plumbi fortaſsè locutus
Spiritus eſt per eum, veſanaque pectora verbum
Evomuére novum, quod non conceperat ipſe,
Ac ſi nec ſuper hoc omninò tacere valeret,
Nec, quod dicebat, plenè cognoſcere poſſet.

Digitized by Google

XLIII.

IN quo, ſic illo famoſo deficiente,
Nec confundor ego, mihi ſi perfectio deſit
Ad cognoſcendum quædam, quibus inferior ſum.
Nilq; verecundor, contra me, vera fateri.
Defectivus in hoc meus intellectus, abundat
In multis aliis. Nec enim myſteria tanta
Pervia ſunt nobis: Quia, quæ proportio lucis
Solis ad obtuſos oculos veſpertilionis;
Hæc & ad ingenium noſtrum hujus materiei.
Nec puto, poſse capi, niſi, poſtquam venerit ille
De cœlo, cœli plenè ſecreta revolvens.
Tunc etenim credam, ſi tantùm dixerit ipſe:
Et quia dicturum dicunt, etiam modò credo.
Ipſum venturum jam diligo, jamque paratus
Credere doctrinæ, quam dixerit eſſe ſequendam:
Cultoremque ſuum me repromitto futurum,
Dum tamen ipſe trahat, quia, ſi non traxerit, ipſi
Nemo placere poteſt, & ad ipſum nemo venire.

XLIV.

DOcturus tamen eſt, quà nos veniamus ad ipſum:
Monſtrabitque viam, quia, per quam venerit ad nos,
Illa tenenda via eſt: illâc nos ire neceſſe.
Et jam præceſſit de quâdam Virgine, per quam
In mundum veniet; Nobis erit hæc adeunda.
Hanc mediatricem dabit Humano Generi, Rex,
Largitor veniæ, noſtræque ſalutis Amator.

XLV.

O Virgo felix! O Virgo, ſignificata
Per ſtellas, ubi ſpica nitet! Quis det mihi tantũ
Vivere, quod poſſim laudum fore præco tuarum?
Nam, niſi tu perfecta fores, non eligeret te

Hic

Hic Deus omnipotens, ut carnem ſumeret ex te,
Uniretque ſibi, niſi digna fores: Etiam, quod
Filius iſte tuus, poſtquam ſurrexerit, & de
Morte triumpharit, te vellet honorificare,
Te ſuperexaltans, cœloſque locans ſuper omnes,
Et ſibi concathedrans. Ubi namque locaverit illam
Electam carnis partem, quam ſumpſerit ex te,
Et carnem, de quâ fuerit ſua ſumpta, locabit.
Fas etenim non eſt, quòd, poſtquam portio carnis
Una tuæ fuerit, ſic cum Deitate levata,
Relliquias alibi locet, ut ſua diminuantur
Munera circa te, dum, quod bene cœperit, hâc in
Parte tui, non in te totâ proſequeretur.
Nam contracta manus tanto eſt indigna datore.
Perfectum perfecta decent: Abſit, quod, apud quem
Plena poteſtas eſt, illi det dona recîsa,
Quam vult ſublimare creaturam ſuper omnem.
Sed nec ad id, quod ſic prælata reſurgat, oportet
Expectare ſtatum motûs, in fine dierum,
Quando reſurrecturi ſunt generaliter omnes;
Præſertim cum ſit illi carni ſpecialis
Cauſa reſurgendi, quæ materialiter illam
De ſe producet carnem, quæ primò reſurget,
Unde reſurgendi vis propagabitur ad nos.
Nec fas eſt etiam, quod eatenus in minùs alto
Siſtatur ſuus ordo gradu, quia, quam Deus ante
Secula, donandam tanto providit honore,
Non opus eſt, ut eam velit exaltare gradatim,
Sed ſimul aſſumet, ſimul & ſibi concathedrabit.

ILlic eſto, tui memorum, memor, optima Virgo!
Illic cum fueris pro nobis tracta trahendis,

Pro

Digitized by Google

Pro nobis te non pigeat ſvadere, quòd ad ſe
Nos trahat Is per te, qui per te venerit ad nos:
Maxima quem per te dilectio traxerit ad nos.
A nobis ipſi ſit gloria laudis, ab ipſo
Gratia ſit nobis, & metæ neſcia vita.

FINIS.

Episto-

Digitized by Google

Epiſtola Gloſſatoris.

DIxit expoſitor hujus libri, ſalutatione præmiſſâ. Prædeceſſor noſter, dignus memoriâ ſempiternâ, Principi condolens, qui, ſeductus â pſeudophiloſopho, corruperat fidem ſuam, nec poterat auctoritatibus Sacrorum Canonum revocari; ſicut homo, qui ſolis humanis rationibus nitebatur, & apud quem, locus ab auctoritate, nullum locum habebat, ſollicitavit me, obſecrans, & injungens, ut animum applicarem, ad inveniendum viam, aſtruendi philoſophicè fidem noſtram. Et præcipuè quoad duo: ſcilicet Incarnationis myſterium; & Reſurrectionem mortuorum generalem futuram. Quod cum non ſolùm difficile, ſed & impoſſibile judicarem, pervenit ad manus meas, caſu inſolito, teſtamentum illud Ovidii, Libellus ſcilicet, qui *de Vetulâ* nomen habet: quem inventum cœpi exponere, cum ad ea facere videretur, quæ obſecrata fuerant, & injuncta. Sed audito, quod dictus injunctor carnis debitum exſolviſſet, cœpi tepeſcere, & deſtiti ab incepto, donec ingruentibus tot Eccleſiæ calamitatibus & preſſuris, reſumpſi ſtudium, usque ad obitum Principis antè dicti: Tunc mihi viſum

eſt,

eſt, quod omnem Dominus quæſtionem tuliſſet, nec dare operam ulteriùs oportebat, ad irrevocabilem revocandum. In tantum tamen catenus proceſſeram exponendo, quod opus videri poterat futurum utile, temporibus Antichriſti: Quæ quidem ſatis propinqua ſunt, ſi fas eſt, hujusmodi rationabiliter æſtimare. Quare cum Dominus mihi jàm ab inſtantiâ litium pepercisſet, perfeci ad nutum Domini opus, totiens interciſum. Vos autem tractatus tertii lectioni vacate. Quod ſi quando fortè veſtras ad manus venerint præcedentes tractatus, invenientes in eis quasdam ineptias juveniles, non arbitremini, quod ego debuerim hujuſmodi reſecaſſe. Nec enim eas dimiſi, quaſi delectatus in ipſis: ſed cum directè Principem redarguere non auderem, ſuper coitu cum maſculis, & cum brutis, ſic ſaltem intendebam, eum ad amorem mulierum revocare. Quæ ſicut animum noſtrum poſſent avertere â legendo: Sic ad totum legendum, animum Principis allexiſſent. Et adhuc hodiè venenum ipſius adeò forſitan eſt reſperſum, quod multis Principum neceſſaria eſt hujusmodi medicina.

Introi-

INTROITUS IN LIBRUM OVIDII NASONIS PELIGNENSIS DE VETULA,

PRomulgatum â Leone Protonotario Sacri Palatii, Bizantei, qui tunc erat Scriniarius Vatachii Principis, & ejus â commentarijs: quando videlicet Rex Colchorum dictum librum, inventum in quodam ſepulchro, extracto de cœmiterio publico, ſito in ſuburbio Dioſcori civitatis, quæ caput eſt ſui Regni, miſit Conſtantinopolim, ubi erat copia Latinorum, pro eo, quod Armenici nec latinam lingvam intelligunt, nec apud ſe interpretes hujusmodi tunc habebant.

IN Librorum initiis ſeptem ſolent inquiri, quæ ad cauſas quatuor reducuntur. Cauſarũ quædã ſunt intrinſecæ, ſicut materialis & formalis: Quædam extrinſecæ, ſcilicet efficiens & finalis. In intentione autem finalis prior eſt, efficiens verò in operatione præcedit. Septem autem inquiri ſolita ſunt hoc modo: Quæ materia? Quæ intentio? Quæ utilitas? Quis modus agendi? Quis auctor? Quis titulus? Cui ex Philoſophiæ partibus ſupponatur? Sed quoniam, auctoris vitâ præcognitâ, multa circa materiam, intentionem, & utilitatem patebunt, ab ipſius vitâ incipiamus auctoris.

CAptâ Trojâ, ſicut tradunt hiſtoriæ, cum Æneâ venit de Phrygiâ quidam Solennus, qui Sulmenen regionem â ſuo nomine appellavit. De cujus regionis Oppido Peligno, natus fuit Ovidius, Naſo cognomine, â magnitudine naſi dictus. Fuit autem ex patre Pilio, fratrem habens Lucilium, uno anno majorem, adeò, quòd in ejus natalitiis,

vide-

videlicet, anniverſario nativitatis ejus die, natus fuerit Ovidius. Hos, diſpariter natos, pater eorum ad literas pariter aptavit. Cumque in minoribus ad plenum eruditi fuiſſent, dedit eis pater magiſtrum in Arte Rhetoricâ, de quâ tantam Ovidius palmam adeptus eſt, quod facundiâ & virtute ſuâ meruit, fieri tribunus militum. Tribuntau verò depoſito, & mortuo fratre ſuo, rogatu Maximiani Principis, & aliorum nobilium Romanórum, & ut famam ſuam maximam faceret in ſcribendo, animum ſuum applicuit ad tractanda juvenilia. Et primò fecit librum Heroidum, ſcilicet de Epiſtolis, imitatus Heſiodum Aſcræum, qui oblivioni datas fabulas & epiſtolas ad memoriam revocabat. Secundò fecit Librum Amoris, qui dicitur ſine titulo: Poſt quem libellos iſtos fecisſe conjicitur, qui non cadunt in numero librorum ſuorum: ſcilicet, de Cuculo, de Philomelâ, de Pulice, de Somnio, de Nuce, de Medicamine Surdi, de Medicamine faciei, de Mirabilibus mundi. Tertio loco fecit librum de Arte amandi: ubi, quia docuit, juvenes eſſe adulteros, & matronas eſſe impudicas, Auguſti Cæſaris indignationem incurrit. Quodſi cauſæ familiares aliæ ſuffuerunt, iſta tamen principaliter videbatur prætendi. Ad mitigandam igitur iram Auguſti, quartò fecit Librum de Remedio Amoris. Subjunxit etiam quinto loco Librum Faſtorum, ſive licitorum, in honore Germanici Cæſaris, qui erat futurus Pontifex anni illius, ut ejus ſaltem interventu Auguſti, gratiæ reddi poſſet. Sexto loco fecit Librum Metamorphoſeos, in quo laudat Auguſtum ab Anteceſſoribus per Æneam. Sed cum nec per hoc etiam idem Germanicus, ſive Ovidius, Auguſtum flexibilem invenisſet, comperiens etiam,

Digitized by Google

quod meditaretur, qualiter Ovidium morti traderet, vix tandem impetravit, ut viveret ſaltem, exilio relegandus. In exilii cujus itinere fecit ſeptimò Librum Triſtium, Libro Metamorphoſeos incorrecto relicto. Cum autem in exilium perveniſſet, octavò fecit Librum de Ponto : Et nonò librum in Ibim, invidum ſuum, quem ſcilicet ita vocavit.

CUmque per literas amicorum ſuorum didiciſſet ad plenum, quod, vivente Auguſto, revocari non poſſet, decimò & ultimò compoſuit Librum iſtum, in quo jam deſperatus, & undecunque ſolatia ſibi quærens, reducit ad memoriam, modum ſuum vivendi, quem habuerat, dum vacaret amori, & quare mutavit eum, & ad quem modum mutavit illum, ſive, quem habuit, poſtquam vacaverat ab amore. Præcepit autem in ultimo vitæ ſuæ, librum iſtum poni ſecum in ſepulchro : vel, quia ſibi cœteris cultior apparebat, vel, quia in ejus fine commendat ſe primæ cauſæ poſt mortem, vel demum, quia ſperans oſſa ſua ſaltem poſt mortem Auguſti ad ſolum patrium referenda, volebat cum eis etiam Librum iſtum referri, ut eorum relatio non careret honore. Et quia non fuit, qui poſt mortem ejus de ſuis oſſibus referendis curaret, liber ideò nec Romam miſſus, nec authentin lectus eſt, nec habetur in uſu. Vixit autem idem Ovidius, ſicut in annalibus invenitur, uſque ad annum ſecundum Tiberii, ſcilicet, per duos annos poſt mortem Auguſti, qui fuit annus octav⁹ decimus à nativitate Domini. Sed neſcitur, ſi pervenit ad ipſum de morte Auguſti: Tum, quia valdè remotus erat ab Urbe, tum, quia rariſſimè veniebatur ad partes iſtas ab eâ. Quodſi fortè pervenit, ſimul etiam potuit pervenire, quod Tibeius facta patris ſui nullatenus revocaret. Nuper

au-

Digitized by Google

autem in ſuburbio civitatis Dyoſcori, quæ Regni Colchorum caput eſt, cum extraherentur quædam Gentilium antiquorum ſepulcra, de Cœmiterio publico, quod juxta oppidum Tomis ſitum eſt, inter cœtera unum inventum eſt, cujus epigramma literis Armenicis erat ſculptum in eo, ejuſque interpretatio ſic ſonabat: *Hic jacet Ovidius, ingenioſiſſimus Poëtarum.* In capite verò ſepulcri capſella eburnea inventa eſt, & in eâ, Liber iſte, nullâ vetuſtate conſumptus, cujus literas non agnoſcentes indigenæ, miſerunt eum Conſtantinopolim, Vatachii Principis tempore. Cujus mandato Leoni, Sacri Palatii protonotario traditus eſt, & ipſe eum perlectum publicavit, & ad multa climata dirivavit.

EX his apparet, quis fuerit Auctor libri, & ſic cauſam efficientem habemus. Item, quæ materia, videlicet modus vivendi, quem habebat, dum vacaret amori: & cauſa mutationis ejusdem ad illum modum, quem habuit, cum jam ab amore vacabat. Et ſic patet iterum Cauſa Materialis. Intentio ad Cauſam Finalē pertinet, quæ fuit, ut auctor, exemplo ſui, nos ab amore temerario revocaret. Utilitas ex intentione procedit, ut nos videlicet, taliter revocati, ad frugem melioris vitæ per conſequen[s] transferamur. Modum agendi, ad Cauſam Formalem, non eſt dubium, pertinere. Is tripertitus eſt: aut enim attenditur circa verba, aut circa ſententias, aut demùm circa comparationem ſententiarum cum verbis. Circa verba quidem, quoniam metricè & non proſaicè ſcriptus eſt. Et eſt verſibus heroicis totus ſcriptus, id eſt, Hexametro dactylico: quod cum neq; mos Ovidii, neq; materiæ qualitas exegisſet, cauſam ejus aſſignat in initio ſui libri. Modus verò agendi circa ſententias, ad libri ſpectat di-

diviſionem, & partium continentiam ſingularum quod, cum ad librum deſcenderimus, palam fiet. Modus agendi circa comparationem ſententiarum cum verbis, triplex eſt: Dramaticus, qui perſonas loquentes inducit ſine interlocutione Poëtæ: Exegematicus, ubi ſine perſonarum introductione loquitur Auctor ſolus: Scenicus, ſicut hìc, ubi reperitur utrumque.

TItulus ex Auctoris nomine & materiâ componitur in hunc modum: *Ovidii Naſonis Pelignenſis de Vetulâ Liber Primus incipit.* Nomen Auctoris jam expoſitum eſt. De Vetulâ verò ideò dicitur, quia Vetula fuit cauſa, quare mutaverit modum ſuum vivendi. Primus autem ideò dicitur, quia Secundum habet. Cui demum parti Philoſophiæ ſupponi debeat, ideò quæritur, ut ſciatur, quo ordine legi debeat, ſcilicet, ante, & poſt quem librum conveniat, ipſum legi, ſi qui forte ſint vel præambuli, vel ſequaces. Debet itaque legi liber iſte librorum ſuorum ultimus, vel quia ultimò factus eſt, vel quia finalem ipſius continet voluntatem. Cœterùm ad Moralem Philoſophiam pertinet, cum Libri Primi major pars contineat œconomicum modum ejus vivendi. Finis ejusdem, & Secundi initium politicum modum tangit: Secundi reſiduum ad modum monaſticum convertatur, præteritum quidem: Et totus Liber tertius ad futurum.

ITaq; deſcendamus ad Librum, præter præfationem, ſive argumentum Leonis, quod de libro non eſt. Præmittitur ab ipſo Auctore, loco procemii, quædam præfatio, in quâ, ut dictum eſt, ſe excuſat, quare, contra morem ſuum, Verſum Pentametrum hìc excludat. Libri verò ſequentia in tres dividuntur tractatus: Quorum primus deſcribit modum vivendi,

di, quem habuerat, dum vacaret amori: Secundus, quare mutaverit illum modum vivendi: Et tertius, ad quem modum mutàvit, ad illum ſcilicet, quem habuit, poſtquam jam ab amore vacabat; quæ tria in dicto Leonis argumento tanguntur. Primus autem tractatus in duas partes dividitur. Prima pars eſt Capitulum, in quo dicit, ſe vacaſſe amori, & totum ſexum muliebrem dilexiſſe: ſed unam tamen ſpecialiter, in contemplatione cujus, omnes etiam alias honorabat. Secunda pars in duas iterum partes dividitur, in quarum primâ dicit, qualiter amore illius abſolutè vivebat. In ſecundâ, qualiter comparativè, & hoc tripliciter: Vel in domo, vel extra domum, vel in eis, quæ tam intùs, quam extrà vel foris exerceri contingit, ſicut ſunt ludi. Si in domo, dupliciter: Vel in aulâ publicè, vel in thalamo ſecretè; et hoc vel in lecto, vel extra lectum, vel in otio, vel in ſtudendo. In lecto, vel in conſortio, vel ſine eo: et in conſortio, vel virginis, vel nuptæ, vel viduæ. Rurſum extra domum dupliciter, non venando ſcilicet, vel venando. Et venando tripliciter: vel aves, vel feras, vel piſces. Aves vel cum ingeniis, vel per aves rapaces. Feras, vel minores, vel magnas. Piſces, vel marinos, vel fluviales. Tertia pars, ut dictum eſt, eſt de ludis. Ludi duobus modis ſunt: aut vulgares, aut Philoſophici. De vulgaribus primò dicit, ludum deciorum deteſtans, & alearum licet excuſatione præmiſſâ, tamen finaliter recuſans, & Scacorum commendans, eum præcipuè Cœli militiæ comparando. Cui quia valdè ſimilis eſt ludus demonſtrativus Rythmomachiæ, eum cœteris ludis philoſophicis anteponit, prius tamen de minoribus ludis vulgaribus ſe excuſat. Et ſic ad ludum Rythmomachiæ deſcendit, à vulgaribus ad philoſophicos

Digitized by Google

tranſiturus, et inde iterum ſe tranſlaturus ad practicam divinationis numerorum, quæ apud Indos vocatur ludus Algebræ,& Almucgrabale,id eſt, negotiationis & cenſus.In eos primò invehitur, qui causâ lucrandi ſtudent potiùs,quam ſciendi:Et inde ad proclamatores curiarum deſcendit. Secundò transfert hoc crimen in potestates civitatum, & in electores eorum: deſcendit etiam ad promotos per ipſos.Et ſic demum revertens ad Ludum divinationis, terminat hunc tractatum.

IN ſecundo tractatu cauſam aſsignat, ut dictum eſt,quare mutaverit dictum modum vivendi, qui diviſus eſt in tres partes.In primâ dicit, quod ſuam voluntatem mutavit: In ſecundâ,et tertiâ narrat duas fabulas, ex quibus elicitur cauſa mutationis illius.Prima remanet indiviſa, niſi quoad hoc, quod, cum incipiat dicere,ſe hactenus ſolos potentes coitus laudaviſſe: modò impotentes commendat, & eorum enumerat quinq;modos: videlicet,frigidos naturaliter,& caſtratos: & hos quatuor modis.Uno modo per violentiam, & tribus per medicinam. Aut enim patiuntur rupturam ſiphac, aut herniam, aut alios morbos, putrefacientes teſticulos: ſicut fortè fiſtulam, ſive cancrum. Quibus enumeratis, ſub prætextu commendandi eos,pro eo, quòd poſſunt ab amore mulierum continere, ſubjuncturus in ipſos invectivam facetam, deſcendit ad particulares Scientias,vituperans eos, ſecundùm ſingulas: Primò Gramaticè, ſecundò Dialecticè, tertiò Rhetoricè,quartò Mathematicè, quintò Phyſicè, ſextò Medicinaliter, ſeptimò Ethicè, octavò Metaphyſicè. Et hoc tribus modis: primo quidem generaliter, ſecundo,deſcendendo ad ritum Gentilium, & ultimo ad Legem Judæorum. Et deinceps conclu-

cludit de mutatione voluntatis ſuæ, utens tranſitu ad cauſas mutationis ejusdem. Eliciuntur autem illæ cauſæ, ut dictum eſt, ex duabus fabulis. Prima fabula eſt de quâdam Vetulâ, quæ cum deberet eſſe mediatrix inter ipſum & cupitam Virginem, decepit eum, viſa ſe ipſam ſupponere, loco ipſius Virginis, nocte quâdam. Hæc fabula dividitur in tres partes. Prima eſt de deſcriptione prædictæ Virginis: Secunda, de narratione facti; Tertia, de maledictione Vetulæ. Secunda fabula eſt de eâdem Virgine, quam ſcilicet juvenculam dilexerat, qualiter ſibi tandem inveterata conſenſit. Hæc dividitur etiam in narrationem facti, & regratiationem talem, qualem inveteratæ fieri decuit, quia regratiationi miſcet maledictionem, regratians pro eo, quòd ſibi conſenſit: maledicens nihilominus, quia tardè. Et in concluſione mutationis tam voluntatis ſuæ, quàm & modi vivendi, terminatur Liber Secundus.

VErùm in Libro tertio ſic procedit. Primò dicit, qualiter victurus eſt, derelicto amore, nobilibus Scientiarum exercitiis vacaturus, & ad devotionem Creatoris ſuum ſtudium converſurus, reſiduis ſuis diebus, quos idem Creator ſibi per ſtellas, ſicut per inſtrumenta, conceſsit, occaſione cujus deſcribit, qualiter inſtrumenta ejus ſunt. Secundò illum ſolum aſſerit eſſe Deum, videlicet Creatorem, & improbat pluralitatem Deorum. Tertiò dicit, quid ille Deus ſit, & qualiter fecit mundum, diſtingvens eum, in partem cœleſtem, & partem elementarem. Et iterum utramq; dividens, ſcilicet elementarem in quatuor, & cœleſtem, in novem corpora, quæ in cœlis ſunt, & motus corporum, motus quoque elementorum breviter memorando. Quartò deſcribit, qualiter minor mundus eſt homo, & quid in ipſo

Digitized by Google

pſo vice cœlorũ, quid vice elementorum fungatur: & demum quibusdam ex ſupercœleſtibus attribuit proprietatem in quatuor elementis, & eorum contentis. Quintò deſcendit ad hominem, & ad curam Dei circa individua ſpeciei humanæ, & ad creationem & infuſionem animæ rationalis, & ad ſeparationem ipſius, quantum ad potentiam intellectus ſpeculativi. Sextò revertitur ad motum cœli, probans per eum immortalitatem animæ, quoniam ſtabit motus, ex quo etiam ad generalem reſurrectionem corporum mortuorum ſe transfert. Septimò deſcribit mortem, ubi videtur aſſumere verba, quibus uſus eſt Salomon in fine Libri Eccleſiaſtes. Et inde ſubjungit, quod timenda ſibi non eſt dies mortis, ſi ſerviat Creatori, etsi ad aliud non eſſet utilis, quam ad hoc, quod terminabit exilium ſuum. Adhuc eſt hoc aliquid. Refellit enim illam opinionem Pythagoræ, quam aſſeruerat in quinto decimo libro Metamorphoseos, 457. verſu, de exercitio animarum in inferno, & quærit meliorem ſententiã Philoſophorum ex ſcientiâ judiciorum aſtrorum, cujus quorundam principiorum facit rememorationem, ut ex ipſis asſignet cauſam ſignificationis fidei, per quam quæritur fortuna futuri ſeculi, & differentiarum ipſius. Probat itaque, quod ſunt ſex fides, quarum quatuor jam præceſſerant, duæ erant futuræ: & probat, quod ultima tollet omnes alias, nec tamẽ diu durabit, & quod, eâ deficiente, ſi fides aliqua revertatur, non erit aliqua ex eis, quæ præceſſerant, ſed tunc primò futura. Et per quandam conjunctionem, quæ tunc nuper fuerat, oſtendit, qualis eſſe debeat fides illa, & dicit multa, per quæ fides illa apparet, eſſe non alia, quàm fides Chriſtianorum. Et quia multa inveniuntur in eâ, quæ ſunt contra

Digitized by Google

contra naturam, & quæ videntur impoſſibilia, ea ſalvàre nititur, ſicut meliùs poteſt, tum quia figurata ſunt in cœlo, tum quia prædicta, tam â Prophetis, quàm â Philoſophis. Et ſpecialiter duo tangit: ſcilicet, Myſterium Incarnationis, & Myſterium Trinitatis. Sed dicit, ea non poſſe capi ad plenum, niſi poſtquam venerit ille Propheta, qui prædicaturus eſt fidam illam. De quo quia prædixerat, figuratum eſſe in cœlo, & etiam prophetiſatum, quod de Virgine naſceretur, in laude illius Virginis terminat librum ſuum.

Deo gratias.

FINIS.

427K.
10K

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z170718206
Digitized by Google

Digitized by Google

Fr. Hollnſteiner
k. k. Hof-Buchbinder
in
WIEN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google